DE

BREVILOQUENTIAE TACITEAE QUIBUSDAM GENERIBUS

SCRIPSIT

GEORGIUS CLEMM.

PRAEMISSA EST

COMMENTATIO CRITICA DE FIGURIS GRAMMAT
ET RHETORICIS

QUAE VOCANTUR

BRACHYLOGIA APOSIOPESIS ELLIPSIS
ZEUGMA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TE BNERI
MDCCCLXXXI.

DE

BREVILOQUENTIAE TACITEAE

QUIBUSDAM GENERIBUS

SCRIPSIT

GEORGIUS CLEMM.

PRAEMISSA EST

COMMENTATIO CRITICA DE FIGURIS GRAMMATICIS
ET RHETORICIS

QUAE VOCANTUR

BRACHYLOGIA APOSIOPESIS ELLIPSIS
ZEUGMA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXI.

DE

BREVILOQUENTIAE TACITEAE

QUIBUSDAM GENERIBUS

SCRIPSIT

GEORGIUS CLEMM.

PRAEMISSA EST

COMMENTATIO CRITICA DE FIGURIS GRAMMATICIS
ET RHETORICIS

QUAE VOCANTUR

BRACHYLOGIA APOSIOPESIS ELLIPSIS
ZEUGMA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXI.

Typis B. G. Teubneri Dresdensis.

Praemittenda.

Etsi nostra aetate multi multa ad Taciti dicendi rationem pernoscendam contulerunt, tamen quaestio de iis breviloquentiae generibus, quae omnia una ellipseos notione comprehendi solent, minime ad certum finem perducta est; quod eo magis miror, quia Tacitum in nullo scribendi genere maiorem artem studiumque collocasse quam in breviloquentia formis ellipticis efficienda etiam ab iis lubentissime conceditur, qui primis labris eius scripta gustaverunt.

Nuperrime Carolus Wetzell dissertationem composuit, ut eam quidem quaestionem, quibus legibus Tacitus verbum substantivum posuisset et omisisset, ad eum finem perduceret, ut porro sub iudice esse non posset. Sed minime hoc assecutus est. Nam etsi haud invito animo confitemur non sine fructu libellum illum nos perlegisse, tamen singula nobis examinantibus apparuit auctorem permultos admisisse errores non solum in singulis locis interpretandis, sed etiam in exemplorum numeris adscribendis; ac raro ille de dubiis locis ad codicum auctoritatem iudicium suum conformavit — quo factum est ut ad restituenda Taciti verba fere nullum ceperis fructum ex tota Wetzellii dissertatione — et tam saepe singula ellipseos genera non ea qua par fuit ratione, sed signis notisque plane extrinsecus sumptis distinxit, ut ab eorum laude, qui quaestionem suam cum pulvisculo ut aiunt exhaurire solent, alienus esse videatur. Cum igitur tota res sit retractanda, valde miror, quod Wölfflin et Andresen nuper de dissertatione illa tam honorificum tulerunt iudicium: cf. Bursian, Jahresberichte 1875 II p. 759 et Jahresberichte des philologischen Vereins in Berlin 1878 p. 291.

Iam antequam Wetzelliana dissertatio in lucem prodiit, pauca de ellipseos verbi substantivi *esse* finibus haud inutiliter observavit Storch *(Bemerkungen zur Grammatik des Tacitus, Memel 1868 p. 13—16).* Sed quoniam singulis tantum exemplis examinatis leges suas constituit, consentaneum est iudicium certum absolutumque iis niti non posse. — Robertus Schmidt in programmate Dramburgensi *(de ellipsi Tacitina 1871)* de omnibus fere ellipseos generibus quaesivit: de ellipsi, quae ad praedicatum obiectum attributum pertinet, de coniunctione *nam* elliptice adhibita, de asyndetis, de interrogationibus indirectis et enuntiatis comparativis elliptice conformatis, rel. Parvus ipse paginarum numerus, quibus Schmidt totam rem absolvisse sibi videtur, summam suspicionem movere debet omnibus, qui accuratius in Taciteae ellipseos usu pernoscendo versati intellexerunt, quanta sit copia non solum ellipseos generum, sed etiam exemplorum locorumque eorum, de quibus certo iudicio huic vel illi classi assignandis viri docti valde dissentiant. Et est illa dissertatio ut a laude perfectionis aliena ita non accommodata ad utilitatem nobis parandam, quia auctor licentius modo ipsa Taciti verba modo numeros solos adscripsit. Accedit quod ars critica in dubiis locis recte interpretandis perraro adhibetur. Quid multa? Schmidt paucis exemplis illustravit genera illa ellipseos nobis tractandae, quae fit in praedicato, quae iam Nipperdey in adnotationibus ad Ann. I 7; 9; XIV 6 et Wölfflin in Philol. vol. XXVI p. 144 et Draeger in libri quae inscribitur *Syntax und Stil des Tacitus* paragrapho 37 distinxerunt exemplisque illustraverunt. Gantrellii libellus *„grammaire et style de Tacite“* fere nihil novi continet.

Singula ad Taciteum ellipseos similiumque breviloquentiae generum usum circumscribendum contulerunt:

O. Klintberg, de formis condicionalium enuntiat. Tac., Holmiae 1877; quo in libello de formis ellipticis agitur p. 43 seq.

M. Morgenroth, de sententiarum condicionalium apud Tacitum formatione Leipzig 1868, p. 9.

A. Gerber, de coniunct. *antequam*, *priusquam*, *postquam*, *dum*, *donec*, *quoad*, *quamquam*, *quamvis* usu Tac. 1874: p. 4; 12—13; 19; 23; 32 seq.; 38 seq.

C. Reuss, de coniunctionum causalium usu Tac. 1876 (cf. Andresen, Jahresberichte des philol. Vereins in Berlin 1878).

Praeterea inspeximus hosce libros de Taciti scribendi ratione compositos:

C. L. Roth, Tac. Agricola 1833: cf. exc. IX; XVII; XXVII; XXIX; XXXII (cf. Wölfflin, Jahresber. in Philol. vol. 25 p. 93—94);

Bötticher, lexicon Taciteum, proll. p. 73—95 (cf. Wölfflin, l. l. p. 92/93.)

Ruperti, ed. Tacit. oper. vol. IV: indices.

Döderlein, praefatio ad Tac. oper. vol. II p. 23 seq.; 36 seq. (cf. Wölfflin l. l. p. 94);

Dübner, proll. ad edit. Tac. oper. 1843 (cf. Wölfflin l. l. p. 94).

Bach, praef. ad ed. Tac. oper. vol. II;

Grysar in Zeitschr. für österreichische Gymnasien vol. IV (1853) p. 1 seq.

Draeger, Syntax und Stil des Tacitus, ed. II 1874.

Gerber-Greef, lexicon Taciteum, fasc. I, II, III 1877—1879.

Multa quae ad eandem rem spectant utilissime tractavit Joh. Müller, *Beiträge zur Kritik und Erklärung des Tacitus* 1865—75; praeterea cf. W. Pfitzner, *die 6 ersten Bücher der Annalen des Tacitus;* Wölfflin, *Jahresberichte in Philol. vol. 25, 26, 27* et in C. Bursian, *Jahresberichte 1875 II p. 756 ff., 1879 II p. 215 ff.;* Andresen, *Jahresberichte des philol. Vereins in Berlin.* Accedunt adnotationes Nipperdei et Heraei ad Taciti annales et historias scriptae; praeterea haud parvum numerum dissertationum singulas res tractantium inspeximus.

Comparavimus hosce libros de aliorum scriptorum dicendi ratione compositos:

Kühnast, *livianische Syntax.;* Lupus, *der Satzbau des Cornel. Nepos*, Waren 1872; H. Plew, *de ellipsi verbi copulativi „esse“ apud poëtas latinos*, Tilsit 1878; Fr. Leo, *Senecaë trag. ed. vol. I p. 184 seq.*

Sed ne longus sim breviter dicam de sola Draegeri commentatione. Sine dubio summa utilitate adhiberi potest, ut in universum nobis quasi imaginem Taciteae elocutionis fingamus; sed penitus in eam inquisituris minime sufficiet, quia de multis rebus singula tantum neque satis absoluta exhibet; quod imprimis iudicandum est de iis capitibus, quibus ellipsis breviloquentia Tacitea tractatur. — Sed ut haec non disserui, ut viros illos de explicanda Taciti scribendi ratione haud immeritos iusto magis vituperem, ita non negaverim ne me quidem totum breviloquentiae Taciteae usum describere posse, quia fines huic libello positos longe excederet; immo vero eo contendam, ut singula breviloquentiae genera verborum propria quae dicuntur ellipsis zeugma comprehendam. Qua in re non tam ne admittam vitium nimiae subtilitatis, quam denotavit Draeger l. l. p. 5, quam vereor, ne singula quae ad rem pertinent propter difficultatem eius praetermittam. Pro certo enim affirmare licet aliam non esse syntaxeos quae dicitur ornatae partem, quae pariter effecerit, ut summa virorum doctorum de vi ac natura eius dissensio existeret, et quae tam varie atque contrarie ad veterum scripta interpretanda adhibita sit, et quae temporum decursu tot opinionum commentis erroribusque longe lateque diffusis sit quasi deformata, quam illa quae una notione ellipseos comprehendi solet. Nec mirum; est enim tanquam instrumentum a rhetoribus dicendique artificibus ad ornandam orationem inventum, quod ut certis grammaticae legibus astrictum non est ita interpretum arbitrio permittitur, quia, ubicunque agitur de loco dubio, ante omnia quaeri debet, quantum audaciae menti et intellegentiae et arti auctoris quantumque ingenio legentium sit tribuendum. Quo factum est ut haud raro interpretes ex suo quisque ingenio atque eruditione ita inter se dissentirent, ut quod ille pulcherrimae iustissimaeque audaciae esse dixerat, hic acerbissimis verbis ineptissime dictum esse contenderat. Satis igitur elucet primum eo nitendum esse, ut quam enucleatissime fines ac leges, quibus circumscribenda sint illa breviloquentiae genera, depingamus. Ut autem vi ac natura ellipseos quam

accuratissime perpensa eam secernamus a similibus ornatae orationis generibus, historiam eorum, quae ab antiquissimis temporibus terminis „ellipsis, zeugma, aposiopesis, brachylogia“ subiuncta sunt, breviter narrabimus. Videtur hoc eo magis necessarium esse, quod non solum talis historia plene ac perfecte ni fallor adhuc scripta non est, sed etiam nihil cogitari potest, quod magis nos adiuvet, ut terminos huc pertinentes subtiliter cognoscamus ac diiudicemus. Qua in re lubentissime confitemur nos non esse amantes terminorum illorum, cum rem ipsam non satis enucleate significent cumque ea, quae iis subici possunt et variis temporibus subiecta sunt, nimis inter se discrepent (cf. controversiam, quae fuit Andreseno cum Draegero in Zeitschrift für das Gymnasialwesen 1871 p. 801 seq.; 1872 p. 295, 298/9). Itaque sine dubio cautius adhibendi sunt, et ea quidem ratione, ut diligentissime pensitemus eos veros quidem esse, sed nisi iusta explicatio accedat, plurimos gignere et maximos errores. (G. Hermann.)

Excursus.

Historia terminorum quorundam ad eas dicendi formas pertinentium, quae fiunt per detractionem (cf. Quintilian. IX 3, 58).

Fontes et subsidia:

Rhetores latini minores ed. Halm.

Grammatici latini ex recens. H. Keilii.

Rhetores Graeci ed. Walz et Spengel.

Sanctius, *Minerva* ed. Bauer, cum notis Perizonii et Scioppii 1801, vol. II p. 1 seq.

Gronovius, *observationes IV* cap. 2 ed. Platner 1755.

Grammaticae latinae Alvari, Scaligeri, Ursini, Broederi, Ruddimanni, Ramshornii, Weissenbornii, Krügeri, Zumptii, F. Schulzii, Kühneri, aliorum.

G. Hermann, *de ellipsi in lingua graeca*, op. I p. 148; 181 seq.

J. Fr. Grimm, *libellus de ellipsibus* 1743.

D. Chr. Grimm, *animadversiones ad Grimmii libellum de ellipsibus*, programm. VIII 1774—1780.
J. G. Lindner, *Über latein. Ellipsen* 1780.
Lambert Bosius, *ellipses graecae* ed. Schäfer 1808.
E. Palairet, *thesaurus ellipsium*, cur. Runkelius 1830.
L. Döderlein, *de brachylogia sermonis graeci et latini* 1831.
Reisig, *Vorlesungen* ed. Fr. Haase.
Sommer in *Zeitschr. f. d. Alterth.-W. 1836* pag. 98 seq.
G. Wichert, *Über Ergänzung ellipt. Satzteile aus korrespondierenden* I. Thl. Guben 1861; (egregiam hanc commentationem secuti sunt Draeger, hist. Synt. I p. 189 seq. et R. Kühner, Gramm. d. lat. Spr. II p. 1042 seq.).
H. Riess, *de ellipsi in lingua latina*, Cassel 1864.
Fr. Haase, *Vorles. über lat. Sprachwiss.*, ed. F. A. Eckstein, I Thl. 1874 p. 201 seq.

Praeterea inspexi libros de latine loquendi consuetudine scriptos ab Handio, Grysaro, Naegelsbachio, Seyfferto, Klotzio, Haackio, Wicherto. De nomine *ellipsis* cf. K. E. A. Schmidt, *Beiträge zur Geschichte der Grammatik des Griechischen und Lateinischen* 1859 p. 408 ann. et infra p. 36 ann. De veterum rhetorum doctrina cf.:
G. Hermann op. I p. 97 seq.; 103 seq.
H. Wiskemann, *de veterum orationet ranslata vel figurata*, Hersfeld 1843;
G. Dzialas, *rhetorum antiquorum de figuris doctrina*, Vratisl. 1869 p. 3 seq.;
R. Volkmann, *Rhetorik der Griechen und Römer*, Berlin 1872;
cf. praeterea Fr. Haase, *Vorlesungen* I p. 186 seq.

I. De brevitate (βραχύτης) et brachylogia.

Anaximenes, *τέχνη ῥητορικὴ πρὸς Ἀλέξανδρον* (ed. L. Spengel, rh. gr. vol. I p. 209, 19) docuit:

βραχυλογεῖν δὲ βουλόμενον [scilicet *δεῖ*] *ὅλον τὸ πρᾶγμα ἑνὶ ὀνόματι περιλαμβάνειν καὶ τούτῳ, ὃ ἂν ὑπάρχῃ βραχύτατον τῷ πράγματι. χρὴ δὲ καὶ συνδέσμους ὀλίγους ποιεῖν, τὰ πλεῖστα δὲ ζευγνύναι· ὀνομάζειν μὲν οὕτω, τῇ δὲ*

λέξει εἰς δύο χρῆσθαι, καὶ παλιλλογίαν τὴν σύντομον ἐκ τῶν μερῶν ἀφαιρεῖν, ἐν δὲ ταῖς τελευταῖς μόνον παλιλλογεῖν. καὶ τοῦτον μὲν τὸν τρόπον βραχεῖς τοὺς λόγους ποιήσομεν.

Haec verba non spectare ad certam quandam figuram earum, quae fiunt per detractionem, patet; quod iam satis intellegi potest ex eo, quod etiam termino illo *παλιλλογία* non figura quaedam ab aliis rhetoribus *ἀναδίπλωσις* vel *ἀνάληψις* (cf. Alexander Numenii ap. Walz. VIII p. 462, Speng. III 29, Kayser Cornific. ed. p. 296) vocata significatur; immo Anaximenes id solum egit, ut vulgares quasdam leges ad orationem in breve contrahendam aptas constitueret. Est igitur *βραχυλογεῖν* notio generalis, cui quasi species subiciuntur hae:

1. *ὅλον τὸ πρᾶγμα ἑνὶ ὀνόματι περιλαμβάνειν καὶ τούτῳ, ὃ ἂν ὑπάρχῃ βραχύτατον τῷ πράγματι*, i. e. rem quandam una notione eaque totam rem accurate comprehendente significare omissis synonymis, hendiadyoin figura quae dicitur, pleonasmo, similibus.

2. *συνδέσμους ὀλίγους ποιεῖν, τὰ πλεῖστα δὲ ζευγνύναι* i. e. neglectis particulis copulativis pleraque asyndetice coniungere.

3. totam orationem ita conformare, ut artificia ad eum augendam uberiusque faciendam a rhetoribus inventa prorsus reiciantur, ita ut *παλιλλογίαι* (= *ἀνακεφαλαιώσεις*) i. e. recapitulationes breves non in singulis partibus, sed in fine totius orationis adhibeantur.

Similiter Trypho, *περὶ τρόπων* (Walz l. l. vol. VIII p. 752, Spengel III p. 202) scripsit ad tropum *συντομία* vocatum explicandum: *συντομία ἐστὶ φράσις αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα τοῦ δηλουμένου ἔχουσα*, quod paullo uberius retractavit P. Aelius Aristides (ed. Dindorf vol. II p. 756, Walz IX p. 394, Spengel II p. 500) hisce verbis:

Κατὰ λέξιν δὲ γίνεται βραχύτης καὶ συντομία, ὅταν τις μὴ ταῖς παραφραστικαῖς [*περιφραστικαῖς*: cf. edd.] *τῶν λέξεων, ἀλλὰ ταῖς εὐθείαις χρῆται, ὅταν μὴ ἐπαγωνίζηται τῇ λέξει τὰ ἰσοδυναμοῦντα παρατιθεὶς, ἀλλὰ δηλώσας τὸ πρᾶγμα τῇ σημαινούσῃ λέξει εὐθὺς ἀπαλλαγῇ καὶ ἐν ὀλίγῳ, καὶ ὅταν τις μὴ φιλοτιμῆται πρὸς τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ πράγματα*

ἀποβλέπῃ. — Non alienum est ab hac descriptione notionum βραχύτης et συντομία, quod iam Cicero sub voce brevitas intellegi voluit: cf. de invent. § 32: *brevitas est cum nisi necessarium nullum assumitur verbum*, quodque prorsus iisdem verbis repetivit C. Julius Victor (Halm, rh. l. m. p. 419, 31). — Non longe recedit ab his Cornificii definitio rhet. IV 68 (ed. Kayser) p. 209: *brevitas est res ipsis tantum modo verbis necessariis expedita.*

Manifestum est omnes hos scriptores tritam quandam reddere descriptionem illorum terminorum, quae in rhetorum scholis Graecorum Romanorumque doceri solita est; quis Graecorum dicendi magistrorum eam invenerit, dici non potest.

Cicero, *de orat. III 53, 202* inter lumina (σχήματα) sententiarum esse distincte concisam brevitatem contendit; quid sibi velit ea, non docet. Sed notandum est Ciceronem hoc loco brevitatem ad veras sententiarum figuras rettulisse, in libro autem, qui inscribitur orator *40, 139* ad alias orationis virtutes, quae nec verborum nec sententiarum ornamentis essent adnumerandae (cf. etiam Quintil. IX 1, 36 seq.). Qua re confirmatur, quod iam Quintilianus recte vidit (IX 3,90), M. Tullium multas figuras in tertio de oratore libro posuisse, quas in oratore postea scripto ipse damnaret.

Ut omnes has quas consideravimus definitiones pertinere ad verborum solam brevitatem, qua id quod cogitatur quam brevissime verbis significatur, cognovimus, ita non mirabimur, quod etiam illud breviloquentiae genus a veteribus iam excultum invenimus, quo id, quod ad obscuritatem vitandam necessarie dici debet, quam brevissime et cogitatur et verbis exprimitur.

Ciceronis temporibus Gorgiam Atheniensem de hoc brachylogiae genere accuratius quaesivisse intellegitur ex Rutilii Lupi libro de schematis lexeos composito (cf. Ruhnken praefatio ad Rut. Lup. p. 10; G. Dzialas, quaestiones Rutilianae p. 5; Volkmann l. l. p. 390; Halm, rh. l. m. p. 3 adn.). Primus ille extitisse videtur, qui doctrinam de figuris a Corace atque Tisia inventam, dein a Gorgia Leontino Aristotele

Theophrasto magis magisque excultam quatuor in libris peculiariter explanavit: cf. Quintil. IX 2, 102 *praeter illa vero.... multa alia et idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cuius quatuor libros in unum suum transtulit, et Celsus ... posuerunt schemata.* Valde igitur est dolendum, quod ne hic quidem Rutilii libellus in ea qua scripsit forma nobis est servatus; commentatio enim, quam codices exhibent Rutilii nomine ornatam, nihil aliud est quam brevis additamentisque alienis prave inquinata epitome ex genuino Rutiliano opere facta (cf. Dzialas l. l. p. 29; Halm l. l.). Cum autem incertum illum auctorem, qui carmen de figuris, quod Halmius edidit l. l. p. 63 seq., composuit, hanc epitomen ex Rutilio conscriptam, cumque Quintilianum genuinum Rutilii librum in usum suum contulisse pro certo affirmare liceat; cum praeterea, quod sine dubio non fortuito factum est, epitomator ille Rutilianus, Quintilianus, incertus ille versificator ex omnibus qui de figuris scripserunt soli brachylogiam in numero figurarum verborum habitam accuratius nec contrarie definiant: unusquisque concludet eam non solum in Rutiliano libro genuino (cf. Quintil. IX 3, 99), sed etiam in fonte ex quo fluxit, in Gorgiano illo opere, similiter fuisse descriptam.

Rutilius Lupus II 8 (cf. Halm l. l. p. 17) scribit: *βραχυλογία: hoc fieri solet, cum orator brevitate sententiae praecedit auditoris expectationem. Lysiae: „quaeres a me, quo iure obtinere possim? quo iure? Mihi Polyaenus reliquit, praetor dedit possessionem; leges me defendunt: ad te non pertinent; hi veritatem sequantur." Item eiusdem: „Sed vos aequum est voluntatem dispicere. Nam consilio valuit, fortuna lapsus est: homo fuit; fatetur: concedendum non omnia posse hominem* (add. Halm); *hoc enim deorum est proprium.* — Ad eandem sententiarum verborumque brevitatem referenda sunt Tryphonis verba, quae leguntur apud Walz. p. 752, ap. Spengel. III p. 202, 16: *περὶ βραχύτητος· βραχύτης ἐστὶ φράσις πλέον τι τοῦ ἀκουομένου νοούμενον ἔχουσα, οἷά ἐστι τὰ Δελφικὰ ἀποφθέγματα „γνῶθι σαυτόν", „χρόνου φείδου", „μηδὲν ἀγάν". βραχύτητα δέ ἔχει καὶ τὸ „Λακεδαιμόνιοι Φιλίππῳ" „Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ"· βούλονται*

γὰρ εἰπεῖν, μὴ ὑψαύχει ἀφορῶν εἰς Διονύσιον ταννῦν γράμματα ἐν Κορίνθῳ διδάσκοντα, ὃς πρότερον ἐτυράννει.

Quintilianus VIII 3, 82 docet terminos brevitas integra et brachylogia non prorsus ad idem esse referendos; hunc spectare ad id breviter dicendi genus, per quod nihil dicat orator, nisi quod necesse sit, contra illo significari eam brevitatis formam, quae posita sit in eo, quod plura paucis complectamur. Ex ipsis Quintiliani verbis elucet termino *βραχυλογία* genus quoddam brevitatis integrae significari; hoc igitur termino aliquid circumscribitur, quod latius patet quam id, quod notioni *βραχυλογία* subicitur. Verba sunt: *ac merito laudatur brevitas integra; sed ea minus praestat, quotiens nihil dicit, nisi quod necesse est (βραχυλογίαν vocant, quae reddetur inter schemata), est vero pulcherrima, cum plura paucis complectitur.* Illam igitur consequimur, si eorum quae dici oportet maxime necessaria tantum exprimimus, ita quidem ut prorsus nihil extrinsecus cogitatione addi possit; hanc, si necessariarum rerum maxime necessarias tam brevibus dicimus verbis, ut plura subintellegenda sint; spectat autem haec definitio termini brevitas integra ad eam dicendi formam, quam infra videbimus a rhetoribus vocatam esse *ἔμφασις*. — Quintilianus verbis modo adscriptis nos relegat ad eam partem operis sui, qua de schematis, proprie de brachylogia scribere vult. Legimus revera IX 3, 99 *item Rutilius praeter ea, quae apud alios quoque sunt* [figuris adicit: cf. § 98: adicit his Caecilius et q. s.]: *παρομολογίαν... βραχυλογίαν, παρασιώπησιν, παῤῥησίαν, de quibus idem dico,* id est schemata omnino non sunt (cf. § 98 extr.). Ex duobus his locis inter se comparatis elucet Quintilianum verbis *βραχυλογίαν vocant, quae reddetur inter schemata* spectasse ad Rutilium eiusque asseclas, quippe qui primus brachylogiam schematum numero adscripsisset eoque effecisset, ut Quintilianus eam inter schemata reddere deberet; qua ex re concludendum est ipsam Rutilii definitionem eam fuisse, quam Quintilianus proposuit verbis *quotiens nihil dicit* (orator), *nisi quod necesse est.* Rutilium autem Georgiam Atheniensem esse secutum satis constat (cf. supra p. 8—9). Quintilianum igi-

tur loco illo VIII 3, 82 Gorgianam brevitatis descriptionem exhibere a veritate haud alienum est; nam quod ad alteram Quintilianeae definitionis partem attinet (*paucis plura complecti*), probari videtur versibus illis, qui leguntur apud versificatorem supra iam memoratum, 46—48:

βραχυλογία· *Est brevitas raptim cum paucis dicimu' multa*
Mentem contempla; nam consilio valuit: fors
Decepit spem saepe; at homo est: concede, fatetur.

eam fluxisse ex Graeco quodam fonte, quia fere eadem brevitatis definitio illustratur exemplo ex Graeco oratore sumpto. Graecum autem hunc fontem non alium fuisse atque eum, ex quo priorem partem hausit Quintilianus, satis patet. — Ecce vero, quam non perspexerint ea quae scripserunt viri illi, qui ex operibus egregiorum rhetorum libellos suos prave compilaverunt. Quod enim Gorgiae et Quintiliani rectissime non figuram esse voluerunt, id illi ineptissime quasi divellunt sibi ipsi repugnantes, cum hic illam, ille hanc definitionis genuinae partem falso figuris adnumeret. Vidimus enim Rutilium eam brevitatem, qua nihil dicimus, nisi quod necesse est, ad figuras rettulisse, versificatorem eam, qua plura paucis complectimur: utrumque factum est dilacerato quasi Gorgia. — Restat ut denotemus termino brachylogia a veteribus etiam asyndeti figuram proprie esse vocatam. Legimus apud Quintilianum IX 3, 50: *et hoc autem exemplum* (cf. § 49: *sublata, deleta, extincta) et superius* (cf. ib. *investigata, comperta, patefacta) aliam quoque efficiunt figuram, quae, quia coniunctionibus caret, dissolutio vocatur;... Hoc genus „βραχυλογίαν" vocant, quae potest esse copulata dissolutio* [i. e. asyndeton, quod fit non in singulorum verborum, sed enuntiatorum coniunctione]. *Contrarium id est schema, quod coniunctionibus abundat.* cf. etiam Anaxim. supra p. 6—7.

Dicendi magistri et grammatici recentioris aetatis Laur. Valla, Scaligeri, Sanctius, alii terminos illos ad certas brevitatis formas significandas non adhibuerunt. Nostro demum saeculo L. Doederlein in commentatione illa *de brachylogia sermonis Graeci et Latini* p. 1 s. et in *prolegomenis ad Taciti*

operum vol. II p. 38 notioni brachylogia propriam subiunxit significationem.

Docet autem priore loco: *ipsa autem grammatica omissio rursus duplex est: ellipsis et brachylogia, quas... ita inter se differre statuo, ut in ellipsi vere ac plane aliquid omissum sit, in brachylogia autem specie omissum sit, reapse latenter dictum.* Dein exponit multas esse huius brachylogiae species ac formas; quarum unam a quibusdam grammaticis (?) peculiari ac proprio βραχυλογίας nomine esse comprehensam, eam scilicet, qua ex uno vocabulo alterum vel radice cognatum vel notione coniunctum mutuandum ac repetendum sit. — Altero loco tria genera discernit: primum, cum vocabulum aliquod semel positum bis sit cogitandum; alterum, cum in vocabulo aliquo simile vocabulum eadem radice ortum lateat, ita ut casus ex casu, modus ex modo, nomen ex verbo et vicissim, denique ὁμογενῆ ἐξ ὁμογενῶν mutuanda sint ad supplendam sententiam (simplicia ex compositis, composita ex compositis, sim.: cf. l. l. p. 40); tertium denique, cum contraria vocabuli alicuius proximi notio cogitatione addenda sit. — Raph. Kühner, *Ausführl. Grammatik der latein. Spr.* vol. II p. 1042 brachylogiae terminum proprie refert ad brevitatem quae fit in enuntiatis contrahendis, expresse remota singulorum verborum ellipsi (cf. p. 1039 et 1042). — Sed neque Doederlein neque Kühner recte egisse nobis videntur, quod terminum brachylogiae ad certum breviter dicendi genus pertinere voluerunt; est enim vi ac natura tam ampla et fluxa, ut solum ad totam breviter dicendi rationem iuste referri possit. Errores autem gignere debet, cum notioni angustior sensus subicitur, quam ei etymologia et consuetudine tribuitur.

II. De aposiopesi.

Vera est haec figura, quae fit per detractionem: cf. Quintil. IX 3, 58 seq. Phoebammo (ap. Walz. VIII p. 505, ap. Spengel. III 50, 8 seq.) *τῆς ἐνδείας ἐστίν.* — Praemittenda sunt haec:

Rutilius, l. l. p. 18 § 11 terminum *παρασιώπησις* hisce verbis definit:

Hoc est, cum aliquid nos reticere dicimus et tamen tacitum intellegitur. Et hoc utendum est, cum aut notam rem esse auditoribus arbitramur aut suspicionem excitare maiorem reticendo possumus. — Sibi ipse repugnat epitomator Rutilianus uno exemplo Lycurgiano allato, quo aliquid, quod taciturum se esse expresse indicavit orator, non tam re vera omittitur — ita quidem ut tacitum cogitatione supplendum sit, — quam praeteritionis quae dicitur figura adhibita reapse breviter pronuntiatur, cum alterum ex Hyperide sumptum exemplum ea utatur ratione, ut res ex promisso tacenda reticeatur. Haec sunt Lycurgi verba: *In praesentia, iudices, iniussu populi quae improbissime gesserit reticebo: de falsis eius litteris, quas ad senatum miserit, nihil dicam: quae illi saepe interminati sitis omittam. Nam et haec vobis nota sunt et quae novissime multo indigniora commisit, quam primum cognoscenda.* Haec Hyperidis: *Cogis me iniuriae tuae causam proferre? Nihil agis; non dicam: sed ipsum tempus eam patefaciet.*

Comparari potest Phoebammonis praeteritionis circumscriptio (ap. Walz. VIII p. 507; Spengel. III 51, 14): *παράλειψις δὲ ἤτοι ὑποσιώπησίς ἐστι νόημα ἐν προσποιήσει σιωπῆς οὐδὲν ἧττον λεγόμενον.*

Haud multum abest ab Rutiliana illa *παρασιωπήσεως* definitione, quod de aposiopesi ex Alexandri Numenii libro genuino exhibuit epitomator quidam (apud Walz. VIII p. 450, Spengel III 22, 7; cf. Steusloff, *quibus de causis Alexandri Numenii περὶ ... σχημάτων liber putandus sit spurius*, diss. Vratisl. p. 5 seq.): *ἀποσιώπησίς ἐστι λόγος ἐπιτείνων τὸ παρασιωπώμενον* (cf. verba Rutiliana suspicionem excitare maiorem reticendo) *ἢ παραλείπων τὸ γιγνωσκόμενον* (Rut.: notam rem esse auditoribus) *ἢ σιωπῶν τὸ αἰσχρόν· ἐπιτείνει μὲν οὖν τὸ παρασιωπώμενον, ὡς Δημοσθένης· „ᾧ μήτηρ μὲν ὑπῆρχε πολῖτις, πατὴρ δὲ οὐκ ἐρῶ πόθεν· οὐδὲν γὰρ πλεῖον τῶν ἀναγκαίων αὐτὸν ἐξετάσασθαι“* et q. s. — Ad eundem Alexandri librum redeunt quae Zonaeus et anonymus quidam tradiderunt: Zonaeus (ap. Walz. VIII p. 677, Spengel. III 163, 5): *ἀποσιώπησις λόγος παραλείπων τὸ γιγνωσκόμενον καὶ σιωπῶν τὸ αἰσχρόν* (sequitur exemplum); anonymus (ap. Walz. VIII

p. 702 Spengel. III 178, 3) paullo uberius docet: *ἀποσιώπησίς ἐστι λόγος παραλείπων τὸ γιγνωσκόμενον καὶ σιωπῶν τὸ αἰσχρόν· δεῖ γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο σκοπεῖν τὸν γράφοντα, ὥστε μὴ μολῦναι τὴν γλῶτταν ἢ τὰ γράμματα ἢ τοὺς ἀκούοντας αἰσχροῖς λόγοις ... οἷον· „οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων καὶ σιωπῆς ὄντως ἀξίων ἐπόπται“· διὰ γὰρ τοῦ εἰπεῖν σιωπῆς ὄντως ἀξίων ὡς πλείστην ὑπέφηνε τὴν ὕβριν καὶ πρεπόντως ἐστηλίτευσεν.* (De Aquilae Romani ex Alexandri libro sumpta definitione cf. infra p. 16). Similiter etiam Apsines (ap. Walz. IX p. 500 Spengel. I 358, 26) dicit aposiopesin esse orationem aut omittentem res notas aut reticentem turpia (*ἢ παραλείπων τὸ γιγνωσκόμενον ἢ σιωπῶν τὸ αἰσχρόν*).

Tiberius (ap. Walz. VIII 536, Spengel. III p. 62): *ἀποσιώπησις δέ ἐστιν, ὅταν μέλλων λέγειν πρᾶγμα αὐτὸ μὲν ἀποσιωπήσῃ, τὴν δὲ ὑπόνοιαν αὐτοῦ καταλίπῃ· „ἀλλ' ἐγὼ μὲν — οὐ βούλομαι δὲ οὐδὲν δυσχερὲς εἰπεῖν ἀρχόμενος τοῦ λόγου· οὗτος δὲ ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ.“* (Idem exemplum eiusdem figurae apud Hermogenem, de form. II 7 ap. Walz. p. 408 Spengel. II p. 430 et apud Aquilam Romanum, ap. Halm. p. 24.) *Καὶ πάλιν πρὸς τὸν Χαρίδημον „ᾧ μήτηρ μὲν οὐκ ἐρῶ τίς ἢ πόθεν· οὐδὲν γὰρ δεῖ πλείω τῶν ἀναγκαίων αὐτὸν ἐξετάζεσθαι“* (idem exemplum attulit Alexandri epitomator p. 19). *Οὐδὲν γὰρ ἂν εἶπε τοιοῦτον οἷον τῇ ὑπονοίᾳ παρέδωκεν.*

Ab Hermogene duae depinguntur aposiopeseos formae: una, qua suspicio maior movetur, quam verbis simplicibus excitari videtur: i. e. plura subintellegenda sunt quam verbis dici videntur; altera, qua oratio plane interrumpitur, ita ut res tacenda neque indicetur neque facile suppleatur (cf. ap. Walz. III p. 408; ib. p. 346; 711; — VIII p. 650; apud Spengel. II p. 430, 18 seq.; ib. 382, 26); legitur p. 430, 18 *„πότε παράλειψις καὶ ἀποσιώπησις γίγνεται; ὅταν βουληθῶμεν τὴν ὑπόνοιαν μείζονα καταστῆσαι τοῦ πράγματος ἐν τῇ γνώμῃ τῶν ἀκουόντων ἢ λέγομεν οἷον· λάβωμεν πρῶτον ἐκ τοῦ λόγου παράδειγμα, πῶς οὗτος κέχρηται τῷ πατρί; λέγω ἴσως ἢ ἀντεῖπεν ἢ οὐκ ἐπείσθη, ἡ δὲ ἀποσιώπησις μείζονα τὴν ὑπόνοιαν πεποίηκεν,*

ὡς ἐπιβουλεύων τῷ πατρί. Δημοσθένης δὲ τῇ ἀποσιωπήσει τῇ τελείᾳ οὕτως κέχρηται ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου· „ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου." Praeteritionis figurae Hermogenes eam tribuit formam, quae fere cum aposiopesi consentiat; docet enim paralipsi aliquid expresse indicari, sed non plene dici, ubi agatur de rebus exilibus notis invidiosis. In eo igitur differentia, quae inter praeteritionem ac reticentiam intercedit, posita esse videtur, quod illa fit aut lenis tantum suspicio rei tacendae, ita ut subintellegi possit, aut vera omissio; hac res praetereunda ita indicatur, ut verbis expresse quidem memoretur, sed imperfecta celeriter relinquatur. (cf. etiam Demetrium (?) ap. Walz. IX p. 109 coll. ib. p. 48 et 106; Spengel. III 318, 31 coll. 316, 31 et 285, 14.) De praeteritionis figura cf. Cicero, or. § 137; Cornif. 27, 37; Aquila Rom. ed. Halm p. 24; carm de figur. ib. p. 74, 27; Martianus Capella ib. p. 478, 3; C. Jul. Victor ib. p. 433, 35; Anaximenes 47, 3; ap. Spengel. I p. 208, 22; 219, 31; Alexandr. Numen. ap. Walz. VIII p. 452; Spengel. III 23; Phoebam. ib. p. 507; Spengel. 51, 14; Tiber. p. 532; Spengel. 60, 26; Zonae. ib. p. 677; Spengel. 163, 10; anonym. ib. p. 702; Spengel. 178, 15. Non sine fructu accipiemus, quae Cornificius de utraque figura exposuit (cf. Kayser) — IV 30, 41: „praecisio (c. e. aposiopesis) *est, quom dictis aliquibus relicuom, quod coeptum est dici, relinquitur in cogitatione audientium sic: „mihi tecum par certatio non est, ideo quod populus Romanus me — nolo dicere, ne cui forte adrogans videar: te autem saepe ignominia dignum putavit"; item: „tu istud nunc audes dicere, qui nuper alienae domi — non ausim dicere, ne quom te digna dixerim, me indignum quippiam dixisse videar." hic atrocior tacita suspitio quam diserta explanatio facti est.* — ib. 27, 37: occultatio (i. e. praeteritio) *est, quom dicimus nos praeterire aut nolle dicere id, quod nunc maxume dicimus, hoc modo: „nam de pueritia quidem tua, quam tu omni omnium intemperantiae addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem: nunc consulto relinquo; et illud praetereo, quod te rei militaris infrequentem tradiderunt; deinde quod satisfecisti L. Labeoni, nihil ad hanc rem pertinere puto. horum nihil dico:*

revortor ad illud de quo iudicium est“ (sequitur alterum exemplum). Qua ratione una ab altera recedat descriptio manifestum est; probatur autem hac Cornificii praeteritionis et aposiopeseos distinctione, aposiopesin esse vere figuram earum, quae fiunt per detractionem. — Qua ratione Cicero figuram nostram sibi finxerit, vix dici potest; nam in librorum de or. III 53, 205 commemorat tantum reticentiam; neque satis circumscriptum est, quod legitur in orator. 40, 138; *reticentiam esse, quum dicit orator, se aliquid reticere.*

Praeterea huc pertinent Aquilae Romani verba, quae leguntur ap. Halm., rh. l. m. p. 24: ἀποσιώπησις, *cum intra nos supprimimus ea, quae dicturi videmur, quod aut turpia aut invidiosa aut alioqui nobis gravia dictu sunt* (sequitur exemplum, quod iam apud Tiberium invenimus quodque etiam Hermogenes l. l. exhibet). *Interdum etiam utimur hac figura, quasi ad alias res* (add. Halm) *properemus. Tale est Vergilianum illud* (Aen. I 135): „*quos ego — sed motos praestat componere fluctus*“. — Aquilae Romani definitionem paene ad verbum reddit auctor quidam incertus ap. Halm. p. 74. — Isidorus Hispalensis similiter docet ap. Halm. rh. l. m. p. 521: *aposiopesis est, cum id quod dicturi videbamur, silentio intercipimus.*

Trypho reticentiam τρόπων φράσεως esse iubet eamque non ad planam interruptionem sed ad occultationem unius alteriusve sententiae refert ita, ut ceterarum coniunctione sententiarum significetur ideoque cognosci possit. παρασιώπησις, inquit ap. Walz. VIII p. 747, Speng. III p. 199, ἐστὶ λόγος ἐν ᾧ δύο ὀφειλόντων πραγμάτων κατὰ τὸ πλῆρες λέγεσθαι τοῦ μὲν ἑνός ἐστιν ἐπαγγελία, τοῦ δ᾽ ἑτέρου παρασιώπησις κατὰ τὸ ἀνάλογον νοουμένη.

Restat ut de Quintiliano iudicemus. Legitur — VIII 3,83: *vicina praedictae* (i. e. brevitati), *sed amplior virtus est* ἔμφασις, *altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Eius duae sunt species: altera quae plus significat quam dicit; altera quae etiam id, quod non dicit.* Extrema haec verba in § 85 hac ratione explicantur: *sequens (species) posita est in voce aut omnino suppressa aut etiam abscisa. Supprimitur vox ut fecit pro Ligario Cicero* (c. 5, 15) „*quodsi in*

hac tanta [*tua:* add. Eberh.-Hirschf.] *fortuna bonitas* [*lenitas:* Eb.-H.] *tanta non esset quam tu per te, per te inquam, obtines: intellego, quid loquar*“. *Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines qui ad crudelitatem eum impellant. Absciditur per ἀποσιώπησιν, quae quoniam est figura reddetur suo loco.* Comparare licet illud Phoebammonianum ap. Walz. VIII p. 505, Spengel. III p. 50: „*καὶ ἔστιν ἀποσιώπησις ἔκλειψις παντελὴς τοῦ ἐκ τῆς ἀκολουθίας ὀφείλοντος ἐπενεχθῆναι, ὡς ἵνα τις εἰπὼν „εἰ ἐμπορεύσομαι“, δέον εἰπεῖν „κινδυνεύσω πλέων θάλασσαν“ τοῦτο μὴ εἴπῃ διὰ τὸ βλάσφημον, εἴπῃ δὲ οὕτως „εἰ ἐμπορεύσομαι, σιωπῶ τὸ λοιπόν“*. cf. praeterea Heriodianum ap. Walz. VIII p. 594/5 Spengel. III p. 95: *ἀποσιώπησις δὲ ὁπόταν ἀτοπωτέρᾳ τις μέλλων ἐπιφορᾷ χρῆσθαι σιγήσῃ τὸ συμπέρασμα τῆς διανοίας.* Etiam Cornificii verba, quae leguntur in capite de significatione (i. e. emphasi) scripto, huc sunt referenda: cf. IV 67: *significatio est res, quae plus in suspitione relinquit quam positum est in oratione;* et ibidem: *per abscisionem, si, quom incipimus aliquid dicere, praecidimus et ex eo, quod iam diximus, satis relinquitur suspitionis, sic „qui ista forma et aetate nuper alienae domi ... nolo plura dicere.*“ Cornificius igitur eodem exemplo abscisionem probare studet, quo IV 30, 41 praecisionem; abscisionem et praecisionem ergo idem significare eo magis contendere licet, quod et ipse de praecidenda oratione nostro loco loquitur et Quintilianus VIII 3, 83 docuit orationem per aposiopesin abscidi. Attamen aliquantum interest inter definitionem Cornificianam et Quintilianeam: Cornificius interrumpit orationem, satis indicata ea re, quam tacet; Quintilianus orationi non interruptae, sed plenae altiorem tribuit intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. (De figura, quae dicitur *ἔμφασις* cf. Walz. VIII p. 530, 543, 652, 745, 746; Halm. p. 517; Cic. de orat. III 202; orat. 139; Cornif. IV 67 (significatio); Quintil. IX 2, 64; Volkmann l. l. p. 380/1). — Altero loco IX 2, 54 Quintilianus non tam naturam ac vim quam usum figurae aposiopeseos describit verbis: *ἀποσιώπησις, quam idem* Cicero *reticentiam*, Celsus *obticentiam*, nonnulli (?) *interruptionem appellant, et ipsa ostendit*

aliquid affectus vel irae (cf. Vergil. Aen. I 137 *quos ego* et q. s.) *vel sollicitudinis et quasi religionis:* (cf. Cic. pro Mil. 12, 33) *„An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, non dicam consule? de nostrum enim omnium — non audeo totum dicere!“*... *vel alio transeundi gratia* (cf. fragm. Ciceron. orat. pro Cornelio): *„Cominius autem — tametsi ignoscite mihi iudices“.* Haec verba ante omnia aliquid momenti, quod ad aposiopeseos historiam pertinet, habent propterea, quod accipimus, quo modo Cornelius Celsus* appellaverit figuram nostram. — Ibidem: § 55—57 Quintilianus aposiopesin secernit a digressione; *hanc enim fieri, cum orationem velut ante legitimum finem praecidimus; sed non esse imperfecti, quem relinquat reticentia, sermonis.* Quod quid sibi velit cognoscimus ex alio loco qui legitur eodem libro, 3, 58: *At quae per detractionem fiunt figurae, brevitatis novitatisque maxime gratiam petunt; quarum una est ea, quam libro proximo* (cf. VIII 6, 20) *in figuras ex συνεκδοχῇ distuli, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intellegitur; ut Caelius in Antonium „stupere gaudio Graecus“; simul enim auditur „coepit“* et q. s. *Cui similia sunt illa meo quidem iudicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur:*

„Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.“ (Verg. ecl. 3, 8.)

Hanc quidam aposiopesin putant, — (cf. M. Plotii Sacerdotis verba, gramm. lat. ed. Keil. vol. VI p. 468: *ex hac figura* (sc. synecdoche) *nascuntur duae: aposiopesis et epidiortosis* ...;

---

* Celsi rhetorica praecepta a Quintiliano plerumque vituperantur ac refutantur (cf. Quintil. ed. Bonnell. p. 284 ind.). Dzialas, quaest. Rutilian. p. 7 suspicatur Celsum, cum in capite III libri IX a Quintiliano de figuris verborum scripto testis citatus non esset, omnino de figuris verborum non scripsisse. Sed ut Celsum non advocaret Quintilianus potius fortuito factum esse veri similius videtur collatis inter se locis, qui leguntur apud Quintilianum IX 1, 18 et ib. 100—102: — IX 1, 18 *„Cornelius tamen Celsus adicit verbis et sententiis figuras colorum, nimia profecto novitatis cupiditate ductus“;* — ib. 2, 100—102 expresse narratur, Celsum Rutilio, quem scimus egisse et de sententiarum et verborum figuris, fuisse accedentem.

aposiopesis est dictio, cum finis reticetur, ut aut terreatur auditor aut ad desiderium intendatur auditus ut „quos ego“ et q. s. His verbis vitium illud admittitur, quod Quintilianus l. l. acerrime vituperat.) — *frustra. Nam illa quid taceat incertum est aut certe longiore sermone explicandum, hic unum verbum et manifestum quidem desideratur; quae si aposiopesis est, nihil non, in quo deest aliquid, idem appellabitur. Nec ego illud quidem aposiopesin semper voco, in quo res quaecunque relinquitur intellegenda, ut aeque in epistulis Cicero: „data Lupercalibus, quo die Antonius Caesari“; non enim obticuit aut lusit, quia nihil hic aliud intellegi poterat, quam hoc „diadema imposuit“.*

Aposiopeseos igitur id est proprium, ut orationem ita interrumpat, ut tacita aut plane incerta aut certe longiore sermone explicanda sint (i. e. quia ceteris verbis positis non satis indicantur); ubi autem verbum vel verba subtracta primo quasi aspectu ex tota rerum verborumque nexu subintelleguntur, quia nihil aliud intellegi potest, non est aposiopesis, sed synecdoches quoddam genus, sc. ellipsis.

Sed haec quidem hactenus. Breviter veterum definitionibus computatis duo aposiopeseos genera distinguere licet:

1. aposiopesin paralipticam: etsi expressis verbis dicitur aliquid taceri, tamen non plane tacetur, sed aut quam brevissime propriis verbis adumbratur (cf. Cornific. IV 30, 41; Phoebam. [ὑποσιώπησις]), — accedit haec proxime ad praeteritionem, quia nec oratio plane praeciditur nec sententiae interrumpuntur — aut ceteris verbis tam dilucide indicatur, ut de re supplenda minime dubitari possit — accedit haec ad synecdochen — (cf. Rutilius [παρασιώπησις], Alex. Numen., Zonaeus, anonym. ap. Walz. p. 702, Tiberius, Hermogenes [in priore definitionis parte], anon. ap. Halm. p. 74, Trypho, M. Plotius [ἀποσιώπησις]).

2. propriam atque absolutam aposiopesin, quae nititur emphasi et eo procedit, ut quae tacentur nec indicentur nec facile suppleantur (cf. Quintilianus, Phoebammon [ap. Walz. p. 505], Herodianus, Hermogenes, ubi de aposiopesi τελείᾳ verba facit).

Aposiopesin inter verborum figuras habuerunt: Herodianus (σχῆμα τῷ λόγῳ παρακολουθοῦν), Cornificius IV 30, 41 (*exornationes verborum)*, Rutilius (cf. Quintil. IX 3, 99); inter figuras sententiarum: Demetrius, Alexander Numenii, Tiberius, Zonaeus, anonymus ap. Walz. VIII p. 702, Aquila Romanus, Cicero, de orat. III 205 *(lumina sententiarum)*, or. 138 *(ornamenta sententiarum)*, Quintilianus coll. VIII 3, 83—85 et IX 2, 54—57; — 3, 58—62; figuram esse earum, quae dicerentur colorum quaeque quasi speciem schematum dianoeas efficerent, cum ἔννοιαι καὶ ἐνθυμήματα ad orationis colorem spectarent, professus est Longinus, qui ap. Spengel. I p. 310 ἀποσιώπησιν esse ait σχῆμα τῶν ἐννοιῶν (cf. Volkmann p. 394). Similiter ad quendam orationis colorem i. e. ad proprium orationis ethos refert eam Hermogenes (cf. Walz. III p. 346, Speng. II p. 382, 26) in dubio relicto, utrum figura sit sententiarum an verborum; sed rhetor hic eam sibi quasi instrumentum finxit, quo fieret λόγος ἐνδιάθετος καὶ ὡς ἀληθῶς οἷον ἔμψυχος (cf. Volkmann p. 475 seq., H. Baumgart, *Aelius Aristides*, Leipzig 1874 p. 211 seq.). Apsines ap. Walz. IX p. 500 (τέχνη ῥητορική), Spengel. I 356 commendavit aposiopesin ad ornandam orationem praecipue accommodatam, cum inserviret gravitati, rettulitque eam ad narrationis genus, quod dicitur παθητικὴ διήγησις. Alio loco (ap. Walz. IX p. 541; Spengel. I p. 413) in libro περὶ ἐσχηματισμένων προβλημάτων eam tropum esse iubet hisce verbis: ἔστι καὶ ἕτερος τρόπος ὃν δεῖ παραλαμβάνειν εἰς τὰ ἐσχηματισμένα κατὰ παράλειψιν καὶ ἀποσιώπησιν. Veris tropis solus Trypho adnumeravit aposiopesin.

Jul. Caesar Scaliger, poëtic. III p. 344 s. (ed. 1594) generatim dicit aposiopesin esse eius figurarum generis, *quae minus dicant quam pro re;* in propriam eius vim ac naturam non inquirit et satisfecisse sibi videtur distinctis ex notis extrinsecus sumptis speciebus nonnullis, quas appellat subticentiam, reticentiam, abscisionem, suspensionem, praecisionem; termino παρασιώπησις comprehendit interruptionem, qua aliquid *interrupta oratione subdatur.* — Sanctius aposiopesin speciem quandam defectus dictionum, i. e.

ellipseos esse voluit, secutus adnotationem, quam proposuit Donatus ad Terentianum illud: *egone illam, quae illum? quae me? quae non?* verbis *ellipsis est et aposiopesis*, quae quidem Sanctius aeque interpretatus est, quasi ille dixisset ad leges grammaticas esse ellipsin vocum, ad rhetoricas aposiopesin i. e. retinentiam et abruptionem sermonis. — Sed satis patet, qua fuerint illi medii aevi grammatici imprudentia et quasi caecitate in eiusmodi rebus diiudicandis. Primus God. Hermannus op. I p. 151—153 qua erat sagacitate aposiopeseos ambitum iuste circumscripsit. Verba sunt: ... *propter varias caussas* (cf. p. 152) *aliquid inchoatum abrumpitur, quae figura vocatur aposiopesis.* — ib. p. 153: ... *in vera ellipsi id quod intellegi solet nusquam dicitur: aposiopesis eo quidem cum ellipsi convenit, quod in utraque aliquid prorsus omittitur, sed diversa est ab ellipsi eo, quod in ellipsi aliquid ob rationem grammaticam, in aposiopesi ob rhetoricam rationem abest. Dicimus vero grammaticam rationem, qua aliquid sic ad sententiam deest, ut oratio ad usum linguae integra habeatur, rhetoricam autem, qua sic, ut ne ad grammaticum quidem usum oratio integra sit.* Integritas autem orationis secundum Hermanni doctrinam perficitur, si omnia dicuntur, quae quis cogitari velit (cf. ib. p. 151); manifestum igitur est ellipsin esse eam dicendi formam, qua orator ea quae cogitavit ita dicit, ut, etsi singula singulis propriisque verbis non plane exprimit, tamen omnia ab audientibus percipiantur; quo fit, ut non defectus sententiarum, sed solus defectus orationis, i. e. verborum, ellipsi admittatur; aposiopesin autem eam, qua nec verbis nec sententiis integritatem illam consequitur orator oratione ita interrupta, ut et verborum et sententiarum existat defectus. Quintilianum iam prope accessisse definitione sua IX 3, 58 seq. proposita ad hanc Hermanni dilucidam aposiopeseos circumscriptionem apparet nobis considerantibus, si ea quae tacentur omnino non vel difficillime tantum intellegi possunt, necessario esse praesumendum, et orationem et sententias in medio esse relictas, i. e. defectum esse et orationis et sententiarum.

Hac in Hermanni explicatione recentiores, quod sciam acquieverunt. Sed vituperandum est, quod plerumque quam bre-

vissima descriptione illa, ex qua orator aposiopesi orationem cum impetu quodam interrumpat, plane contenti efficiunt, ut dubitari possit, quae sit vis quique fines eius figurae.

Quod sane proficiscitur ex sola illius termini natura nec certis finibus circumscripti et tam dubii, ut ad res plane diversas possit referri. Quae cum ita sint, etiam hic monendum est, ut in veterum scriptis recte interpretandis plane omittas illum terminum semperque rem ipsam manifestis propriisque verbis quam acutissime circumscribere studeas.

III. De ellipsi.

Hoc termino veteres et etymologicam illam formam, quae posita est in defectu singularum syllabarum in singulis vocibus accidenti, et syntacticam quandam, quae spectat ad verborum et sententiarum detractionem, denotaverunt.

1. De ellipsi ad verborum formam pertinenti.

Trypho ap. Walz. VIII p. 745, Spengel. III p. 198: *ἔλλειψίς ἐστι λέξις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη· γίνεται δὲ κατ' ἀρχήν, κατὰ μέσον, κατὰ τέλος, οἷον ἀφαίρεσις, συγκοπὴ καὶ ἀποκοπή. κατ' ἀρχὴν μέν, οἷον „λείβειν — εἴβειν“· κατὰ μέσον, οἷον „μονώνυχας — μώνυχας“· κατὰ τὸ τέλος „δῶμα — δῶ“.* Similia scripta sunt apud Zonaeum (cf. Walz. VIII p. 684, Spengel. III p. 167): *ἔλλειψίς ἐστι λέξις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐκφερομένη· γίνεται δὲ κατ' ἀρχήν, κατὰ μέσον καὶ κατὰ τὸ τέλος. λέγεται δὲ τὸ κατ' ἀρχὴν ἀφαίρεσις οἷον „λείβειν - εἴβειν“, τὸ κατὰ μέσον συγκοπὴ οἷον „μονώνυχας - μώνυχας“, τὸ κατὰ τέλος ἀποκοπὴ οἷον „δῶμα - δῶ“. Ἔλλειψις στοιχείου οἷον „γαῖα - αἶα“· ἔλλειψις συλλαβῆς „ἀστράπτει - στράπτει“, „ἀμφιφορεὺς - ἀμφορεύς“ „Ἀπόλλωνα - Ἀπόλλω“.** * Fere item scripsit Jos. Rhacyndeta ap. Walz. III

* Iure miramur quod Zonaeus hanc etymologicam ellipseos formam, quae figura verborum non est, inter schemata lexeos enumeravit. Proponit autem duas definitiones: alteram (cf. Walz. VIII 683, Spengel. III 166) mutuam ab Alexandro Numenii sumptam (cf. infra p. 27 seq.),

p. 569. Haec sufficiunt de hac ellipseos specie, quae non nisi propter historiam eius termini plenius scribendam a nobis attingi debuit. Multo maior est nobis cura atque utilitas in indaganda altera illa rhetorico-syntactica, ut ita dicam, ellipseos forma.

---

quae est vera, alteram nostram, quae est falsa elocutionis figura. Sed partem tantum huius definitionis exhibuimus; reliqua eius verba sunt: *ἔλλειψις λόγου· „κἄπειτ' ἀπὸ ταῤῥοῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τῆς γῆς, εἴπερ“* (cf. Aristoph. nub. 226 s. Dind. poët. scaen. gr.)· *ἐλλείπει τὸ „ἐβούλου“ ἢ „εἰ ἦν δυνατὸν ἄνθρωπον ὄντα διαγνῶναι τὰ θεῖα“. Ἔλλειψις ὀνομάτων ῥημάτων καὶ προθέσεων· πάντα γὰρ λόγον ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος ἀνάγκη συνίστασθαι, ἀλλὰ οἱ Ἀττικοὶ συντομίας χάριν ἐνίοτε θάτερον τούτων νοεῖσθαι διδόασιν, ἐπὶ ὀνόματος, οἷον „ἐνταῦθα πωλεῖν τε χρὴ καὶ ὠνεῖσθαι“* (cf. Philostrat. heroic. p. 661), *λείπει τὸ „τινὰ ἄνθρωπον“ δηλονότι.*

Verisimile est, quod iam Boissonadius suspicatus est, totam hanc definitionem esse subditiciam, primum quod etymologica illa ellipsis vel grammatices orthographiaeque propria omnino non est figura elocutionis; deinde quod nullius alius figurae Zonaeus proposuit tam diversas definitiones; postremo, quod Zonaeus Alexandrum diligenter secutus eius circumscriptionem ellipseos paullo ante iam recepit. Unde autem hauserit eam vix dicere possumus; sed verisimile videtur eam a grammatico quodam, non a rhetore esse repetitam; nam et prior illa pars, qua syllabarum vel litterarum detractio tractatur, et altera illa, quae spectat ad singularum compluriumve vocum defectum, nos relegat ad grammaticorum doctrinam versantem magis in ipsorum verborum quae omittuntur natura explicanda quam in eis describendis, quae omissione efficiuntur, quod fuit rhetorum. Quod iudicium ad veritatem prope accedere probatur imprimis verbis, quae legimus l. l.: *πάντα γὰρ λόγον ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος ἀνάγκη συνίστασθαι*; prorsus enim redolent grammatici cuiusvis doctrinam, fortasse Atticistae, quia expresse Atticorum omittendi usus commemoratur. At enim concedendum est etiam a rhetoribus, qui de tropis grammaticis scripserunt, etymologicam ellipseos speciem esse receptam (cf. Trypho ap. Walz. p. 745, Spengel. III p. 198). Quod ne nimis mirum videatur, Quintiliani verba adponantur, quibus docemur tropos *esse alios in verbis propriis alios in translatis, vertique formas non verborum modo sed et sensuum et compositionis* (cf. Quint. VIII 6, 2). Praeterea syntacticam illam praepositionum nominum verborum ellipsin tropis esse adnumeratam probatur definitionibus, quas amplexi sunt anonymus quidam ap. Walz. VIII p. 721—722, Gregorius Corinthius, ib. p. 772, Georgius Choeroboscus ib. p. 813 (cf. Spengel. III p. 211, 221, 252). Quibus accurate inter se comparatis:

2. De ellipsi ad syntaxin pertinenti.

Primum examinanda sunt, quae Quintilianus scripsit in libr. I 5, 40. Agit vero in hoc capite de vitiis orationis, imprimis de barbarismi et soloecismi foeditate. Ac § 6 doce-

Trypho l. l.

Ἔλλειψίς ἐστι λέξις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη· γίνεται δὲ κατ᾽ ἀρχήν, κατὰ μέσον, κατὰ τέλος, οἷον ἀφαίρεσις, συγκοπὴ καὶ ἀποκοπή· κατ᾽ ἀρχὴν μὲν οἷον· „λείβειν-εἴβειν"; κατὰ μέσον, οἷον· „μονώνυχας-μώνυχας" κατὰ δὲ τὸ τέλος „δῶμα-δῶ".

Zonaeus l. l.

Ἄλλως. Ἔλλειψίς ἐστι λέξις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐκφερομένη. γίνεται δὲ κατ᾽ ἀρχήν, κατὰ μέσον καὶ κατὰ τέλος· λέγεται δὲ τὸ κατ᾽ ἀρχὴν ἀφαίρεσις, οἷον „λείβειν-εἴβειν"· τὸ κατὰ μέσον συγκοπή, οἷον „μονώνυχας-μώνυχας" τὸ κατά τέλος ἀποκοπὴ, οἷον „δῶμα-δῶ". Ἔλλειψις στοιχείου, οἷον „γαῖα-αἶα". Ἔλλειψις συλλαβῆς „ἀστράπτει-στράπτει", „ἀμφιφορεὺς-ἀμφορεύς", „Ἀπόλλωνα-Ἀπόλλω". Ἔλλειψις λόγου (cf. Arist. nub. 226/7): *ἐλλείπει τὸ „ἐβούλου", ἢ „εἰ ἦν δυνατὸν ἄνθρωπον ὄντα διαγνῶναι τὰ θεῖα". Ἔλλειψις ὀνομάτων ῥημάτων καὶ προθέσεων· πάντα γὰρ λόγον ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος ἀνάγκη συνίστασθαι, ἀλλ᾽ οἱ Ἀττικοὶ συντομίας χάριν ἐνίοτε θάτερον τούτων νοεῖσθαι διδόασιν, ἐπὶ ὀνόματος οἷον „ἐνταῦθα πωλεῖν τε χρὴ καὶ ὠνεῖσθαι"· λείπει τὸ „τινὰ ἄνθρωπον" δηλονότι.*

Georg. Choerobosc. l. l.

Ἔλλειψίς ἐστι λόγος ὁ μὴ κατὰ τὸ πλῆρες ἐκφερόμενος, παρέχων δὲ ἡμῖν νοεῖν τὸ ἑπόμενον, ὡς ὅταν τις πενθῶν καὶ ὀδυρόμενος εἴπῃ· „τὸ στῆθός μου ἔτυπτον ἀμφοτέραις", δηλονότι „χερσίν", ἢ ὡς παρὰ τῷ ποιητῇ (Od. σ 28) *„κόπτῳν ἀμφοτέραις", τουτέστι „χερσίν".*

Gregor. Corinth. l. l.

Ἔλλειψίς ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐκφερομένη, ἀλλὰ μιᾷ λέξει ἢ πλείοσιν ἐλλείπουσα, οἷον „κόπτων ἀμφοτέρῃσιν", ἐλλείπει γὰρ „ταῖς χερσίν". Ὁμοίως (Il. κ 199 — 201) *„Ἐν καθαρῷ-ἔσται". Ἐλλείπει γὰρ τὸ „καλῶς ἂν ἔχοι". Ἀπεκρέματο γὰρ ἡ διάνοια· ἔνιοι δὲ τὸν τρόπον τοῦτον „προςυπακουόμενον" καλοῦσιν.*

Anonymus l. l.

Ἔλλειψις δέ ἐστι λόγος μὴ κατὰ τὸ πλῆρες ἐκφερόμενος· παρέχων δὲ νοεῖν τὸ ἑπόμενον ὡς τὸ „ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ κύριον"· τὸ γὰρ „ἐστὶν" ἐλλειπτικῶς νοεῖται, καὶ „ἀναστάσεως ἡμέρα" καὶ τὰ τοιαῦτα.

patet

1. generalem illam definitionem verbis *ἔλλειψις-ἐκφερομένη* comprehensam omnibus esse communem.

mur barbarismum esse vitium, quod fiat in singulis verbis i. e. in orthographia, formis, sim.; cui contrarium esse soloecismum in verborum coniunctione positum, i. e. in syntaxi (cf. § 34: *cetera vitia omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est soloecismus)* seu ipsa structura sit tota vitiosa, seu unica voce perturbetur (cf. § 38 *atque ut omnem effugiam cavillationem: sit* (soloecismus) *aliquando in uno verbo, nunquam in solo verbo).* — Breviter haec nobis exponenda erant propter ea quae sequuntur. Pergit enim Quintilianus in § 38: *qui plenissime* (sc. de soloecismi speciebus quaerunt), *quadripertitam volunt esse rationem ..., ut fiat adiectione ..., detractione: „ambulo viam"* (pro *in via*), *„Aegypto venio"* (pro *ex Aegypto*) *„ne hoc fecit"* (omissum est *quidem*), *transmutatione ..., immutatione* (cf. § 41). — § 40: *haec tria genera* (sc. vitium adiectionis detractionis transmutationis) *quidam deducunt a soloecismo, et adiectionis vitium „πλεονασμόν", detractionis „ἔλλειψιν"... vocant.* Patet hanc ellipsin ad manifesta vitia syntactica vel ad structuras a cotidiana dicendi ratione alienas esse relatas a quibusdam; id quod iam Trypho fecisse videtur in tropis grammaticis recensendis: cf. ap. Walz. l. l. p. 745, Spengel. III 198, hisce verbis: τρόποι μὲν οὖν οὗτοι (inter quos habuit etiam

---

2. generalem hanc definitionem ad etymologicam illam ellipsin referri a Tryphone ac Zonaeo et ab eo uberius tractari, cum expressis verbis addat, ubi de litterae, ubi de syllabae agatur detractione, et describat syntacticam praepositionum nominum verborum omissionem. Itaque Zonaeum, etsi primis verbis supra allatis ἔλλειψις-δῶ plane cum Tryphone consentit, ex ipso Tryphone tamen non hausisse statuendum est.

3. generalem definitionem ad solam syntacticam referri ellipsin a Choerobosco, Greg. Corinthio, anonymo; exemplis omissis plane inter se consentire Choeroboscum et anonymum; eadem exempla exhiberi a Choerobosco et Gregorio. Sed cum ne unus quidem accedat similitudine ad Zonaei illam syntacticae ellipseos definitionem, firmatur id, quod supra iudicavimus, spectare hanc ad grammaticorum doctrinam.

Quibus ex rebus breviter disputatis concludendum est alteram illam Zonaei nomine inscriptam definitionem, quae incipit ab voce ἄλλως, esse additam ab anonymo quodam, qui et tropicam illam a rhetoribus propositam ellipsin singularum litterarum syllabarumque et syntacticam a grammaticis tractari solitam cognovit earumque definitiones coniunxit (cf. Steusloff, l. l. p. 18—20).

ellipsin) τῆς γραμματικῆς τὴν κοινὴν συνήθειαν παραβαίνοντες. Similiter grammatici latini ellipsin vitium esse volunt, quod admittatur nominum verborum praepositionum detractione; qua definitione non nisi ad externum, ut ita dicam, orationis habitum spectant neglectis propriis iustisque condicionibus finibusque, quibus haec detractio coercetur. Charisius ap. Keil. I p. 271:

Ellipsis est sententia verbo minor quam necesse est, salva tamen compositione verborum, ut per est „in medio victoria ponto" et „iam Danai nisi referunt" pro „ne siquidem referunt."

Verbis salva compositione Charisius non negat ellipsin esse vitium, quippe quae id solum sibi velint ellipsi aliquid ita omitti, ut tota compositio non prorsus inepta habenda sit. Diomedes ap. Keil. ibid. p. 450 docet:

Ellipsis est necessaria dictione fraudata sententia, defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia, ut est: „terris iactatus et alto" (Verg. Aen. I 3), *cum desit praepositio „in"; item „Italiam fato profugus"* (Verg. Aen. I 2), *id est „ad Italiam".* — Alteram Diomedis definitionis partem inde a verbo defectus ad verbum repetivit Donatus ap. Keil. IV p. 395 addito alio exemplo: Verg. Aen. I 41 *haec secum:* deest enim loquebatur; cf. etiam Pompei commentum artis Donati ap. Keil. V p. 294. — Marius Plotius Sacerdos ap. Keil. VI p. 454 docet: *Eclipsis* est sensus minus habens*

---

* Utrum ἔκλειψις verior sit forma an ἔλλειψις vix dici potest; a veteribus utraque adhibita est. K. E. A. Schmidt, *Beiträge zur Geschichte der Grammatik des Griechischen und Lateinischen,* Halle 1859 p. 408 Anm. 34 ex codicibus rem diiudicare conaturus nec certi quidquam enucleavit nec enucleare potuit, quia novissimis Halmii Spengeliique studiis in rhetorum Graecorum Latinorumque emendatione consumptis niti nequibat. Sed omissis codicibus in universum iam dici potest veteres vix etymologicam illam qua Schmidt secrevit ἐκλείψιν ab ἐλλείψι distinctionem, qua quidem illa sit vere defectus (detractio defectio) orationis, haec specie defectus, cum id quod omissum videtur tamen latenter ceteris verbis dicatur (Schmidt vertit ἔλλειψιν voce Innenlassung) — veteres, inquam, vix hanc distinctionem in usurpandis terminis nostris esse secutos. Quod satis iam eo probatur, quod singuli rhetores latini unam detractionis vel defectus vel defectionis notionem

verborum, quam necessitas postulat (cf. Charis.), *ut „quem tibi iam Troia“* (cf. Verg. Aen. III 340): *dedit aut aliquid tale subauditur.* — Sed haec hactenus. A rhetoribus, quorum erat considerare naturam ac vim cuiusque figurae, qualis ad orationem ornandam adhibebatur, haec de figura ellipseos praecepta data sunt:

Alexander Numenii ap. Walz. p. 470, Spengel. III p. 33, 6 (locum corruptum* exhibemus ex Aldinae scriptura): *Ἔλλειψις δέ γίνεται, ὅταν ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα χρὴ*

---

modo ad *ἔλλειψιν* modo ad *ἔκλειψιν* rettulerunt. Anonym. ap. Halm. p. 75, 1 *ἔκλειψις* i. e. *defectus;* Aquila Rom . ib. p. 376 *ἔλλειψις* i. e. *detractio;* carm. de figur. (quod sequitur Alexandrum Numen.) ib. p. 70, 175: *ἔλλειψις* i. e. *defectio;* Martianus Cap. qui fere ad verbum Aquilam exscripsit, ib. p. 483, 5 secund. codd. *eclipsis,* i. e. *detractio.* Quintilianus I 5, 40 notione *ellipsis* (cf. cod. A.) vitium detractionis, quae pertinet ad soloecismum (cf. supra p. 24 seq.), significat, itemque, ut videtur, ex codicum A G scriptura *etlipsis* (M S a: *eclipsis*) synecdochicam illam figuram, qua verbum ex verbis intellegitur (cf. infra p. 30 seq.) — Quod Schmidt nos relegat maxime ad codicum scripturam, dicendum est eorum auctoritatem nihil valere ad hanc rem diiudicandam; nam ineptissime inter se dissentiunt. Scripturam *ellipsis (enlipsis)* praebent codd. Charisii (Keil. I 271, 4), Diomedis (ib. I 490, 19); *eclipsis* Donati (ib. IV 395, 11); utramque promiscue codd. Prisciani. Rhetorum Graecorum codd.: *ἔλλειψις* omnes praeter Phoebammon. ap. Walz. p. 505, Spengel. III 50, 10: *ἔκλειψις.* — Sed haec sufficiant!

* Alexandri libellus pravissimis codicibus exhibetur (cf. Walz. VIII p. 415 seq., Spengel. III p. IV praef.). Locus noster corruptus nititur cod. Vindobonensi LX, Parisino I (1741), Parisino II (2087) qui, cum figuras aliter dispositas magisque contractas habeat, non nisi in comparationem advocari potest; praeterea editiones Aldi et Normanni aliquantum subsidii praebent. Qua sunt pravitate, hi Alexandri Numenii doctrinae quasi fontes vix certam emendationem loci nostri fieri patiuntur. Exempla ab auctore apposita eo inter se differunt, quod alterum ad complurium vocum, alterum ad unius spectat omissionem; necesse his exemplis respondeatur definitio, ita quidem ut altera pars complurium, altera unius vocis ellipsis circumscribatur. Quamobrem et Normanni emendatio *ὅταν ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα χρὴ ὑπακούειν, τῶν ὀνομαστὶ μὴ κειμένων· ὅτι δή τι νοεῖται πλέον* et Walzii: *ὅταν ὄνομά τι περιῃρημένον ᾖ, ὀνομαστὶ μὴ κείμενον* probari non possunt. Soli rectam emendandi viam ingressi sunt corrector codicis Par., qui supra lineam adscripsit *ὅταν ᾖ ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα ἢ καὶ ἓν ὄνομά τι μὴ*

ὀνομαστὶ μὴ κειμένων, ὅτε δέ τι νοεῖται πλέον, ὡς ὁ Δημοσθένης „εἴ τις ἐπακολουθῶν ἐπὶ τὸ μνῆμα διεξίοι, εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν, οὐκ ἂν ἀπέθανεν· ἐμβρόντητε, εἶτα νῦν λέγεις“; νοεῖται γὰς τὸ „φαίη ἄν τις πρὸς αὐτὸν ἢ εἴποι“. καὶ πάλιν, „μέλει δ᾽ οὐδενὶ οὐδὲ μέμνηται“ καὶ γὰρ ἐνταῦθα ἐλλείπει τὸ „οὐδείς“. πάθους δὲ ἔμφασιν ἔχει τὸ σχῆμα (i. e. gravitatem et impetum orationis auget figura). — Haud multum distant ab hac definitione ceterorum Alexandri asseclarum praecepta: Zonaeus ap. Walz. p. 683, Spengel. III p. 167, 1; auctor codicis Par. 2 ap. Walz. ib. p. 470 ann. 1 extr., Par. 3 ap. Walz. p. 683, cod. Ambrosiani (ibidem), Moschopuli commentatio a Titzio edita (ibidem). (Accuratius de his Alexandri epitomatoribus quaesivit B. Steusloff l. l.). Supervacaneum igitur est eorum verba hoc loco adscribere, cum nihil novi praebeant. Qui Romanorum rhetorum attigerunt aliquatenus Alexandri doctrinam, Aquilam Romanum eiusque compilatorem Martianum Capellam (cf. Halm. rh. m. l. p. 477 ann.) et auctorem carminis de figuris ita commemorare liceat, ut sola verba eorum adponamus. Aquila Rom. ap. Halm. l. l. p. 37 § 46: *ἔλλειψις, i. e. detractio ..., ornatur oratio, cum aliquod verbum detrahimus a sua significatione, hoc modo „et illi quidem, qui a se mortem* (add. Ruhnken) *morte inimici reppulit, ignosco. Videntur autem mihi et* (add. Stephanus) *iudices, qui sententias pro illo tulerunt: nam multas fuisse audio“. Hic apparet totum illud deesse „videntur mihi et iudices idem sensisse“ vel „ignovisse“. Sed quia intellegebatur, id detractum est, ut ipsa celeritate commotior esset enuntiatio.*

κείμενον, et Spengel., qui in vol. III praef. p. V exposuit, sensu desiderari hanc lectionem *ὅταν ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα ἢ ὄνομά τι μὴ κείμενον ὅτι νοεῖται ὡς* et q. s. — Sed in utramque dicendum est, cuiusque subiecti proprium idemque significans praedicatum, *περιῃρημένα* et *μὴ κείμενον*, gignere molestissimam tautologiam; neque alia fuit causa, cur emendationem, in quam primo aspectu codicum verborum incidi *ὅταν ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα ἢ ὄνομά τι μὴ κείμενον, ὥστε δεῖ τι νοεῖσθαι πλέον* abieci. Spengeliana illa lectio proprie eo laborat, quod extremam partem definitionis nostrae a codicibus exhibitam violentius mutari iubet. Quae cum ita sint, fortasse scribendum est:

ὅταν ὀνόματα πολλὰ περιῃρημένα ἢ ὄνομά τι· χρὴ δὲ τῶν κειμένων δηλονότι τι νοεῖσθαι πλέον.

Carm. de figur. v. 175—177 ap. Halm. p. 70:
ἔλλειψις· „*Fit defectio cum verbum, quod subtraho grate*“,
„*Defit.* „*Curat enim nemo nec corrigit hanc rem*“,
„*Sed culpat.*“ *Quippe hic* „*quisquam*“ *subtraximu' grate.*“
cf. praeterea incert. auctor. de schemat. dianoeas ap. Halm p. 75.

Similiter ellipseos vim neglectis linguae legibus, quae hominum intellegentia ac consuetudine ita circumscribuntur, ut absit perversa elocutio ineptaque obscuritas, ceteri fere omnes veterum rhetores definiunt, nisi forte quod vix laudaverim verbis illis, quae addita sunt ab Aquila Romano: *quia intellegebatur, id detractum est,* significari iubeas ellipsin sola ea condicione fieri posse, si id quod detrahatur ceteris verbis satis indicetur intellegendum.

Tiberius ap. Walz. p. 570, Spengel. III p. 78, 32:
Ἔλλειψις δέ ἐστιν ὅταν ὁ λέγων ἐλλείπῃ λέξιν ἣν παρ' αὐτοῦ ἔδει προςθεῖναι τῷ νοήματι, οἷον „θέαμα δεινὸν καὶ ἐλεεινόν“· ἐλλείπει γὰρ τὸ „ἐστί“. κἀκεῖνο δὲ ἔλλειψις· „πρῶτον μὲν, ὦ Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις“· ἐλλείπει γὰρ „ταῖς θεαῖς“. καὶ πάλιν· „ὥσπερ ἂν τις ἰατρὸς ἀσθενοῦσι μὲν τοῖς κάμνουσιν εἰσιὼν μὴ λέγοι μηδὲ δεικνύοι δι' ὧν ἀποφεύξονται τὴν νόσον, ἐπειδὰν δὲ τελευτήσειέ τις αὐτῶν καὶ τὰ νομιζόμενα ἐπ' αὐτῷ φέροιτο, ἀκολουθῶν ἐπὶ τὸ μνῆμα διεξίοι, εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν ἄνθρωπος, οὐκ ἂν ἀπέθανεν. ἐμβρόντητε, εἶτα νῦν λέγεις“; καὶ πάλιν „εἶπον τοίνυν ὡς μὲν ὑπαρχόντων Θηβαίων Φιλίππῳ λίαν θορυβουμένων“· ἐλλείπει γὰρ τὸ „φίλων καὶ συμμάχων“. (exempla sumpta sunt e Demosthen. orat. de falsa legat p. 361, 19 ed. R.; de cor. init., p. 307, 28, p. 236, 8.) — Anonymi verbis, quae leguntur apud Walz. VIII p. 663—666, Spengel. III p. 155—157, ideo aliquantum tribuendum est, quia docemur Hermogenem ellipsin rettulisse ad grammaticam illam defectionem, quam inter tropos grammaticos a Tryphone, Zonaeo, Gregorio Corinthio, Georgio Choerobosco, quibus addi potest etiam Cocondrios ap. Walz. III p. 796, Spengel. III p. 242, habitam esse supra iam vidimus. Cocondrii verba sunt: ἔλλειψίς ἐστι φράσις μέρει λόγου τινὶ ἐλλείπουσα (sequuntur exempla, quibus defectus praepositionum probatur). Ex ano-

nymi verbis, quae hoc loco adscribere longum esset, elucet Hermogenem praecipue asyndeticam verborum coniunctionem esse σχῆμα ἐλλειπτικὸν docuisse (cf. p. 11).

Omnibus definitionibus quas adhuc examinavimus breviter computatis videbis a veteribus termino ellipseos appellatam esse detractionem et singularum vocum (praepositionum adverbiorum nominum verborum) et sententiarum ex compluribus vocibus compositarum, i. e. ellipsin generatim ut ad elocutionis ita ad sententiarum defectum collatam esse. Grammatici eam vitium barbarismi et soloecismi vocaverunt, rhetorum alii figuram alii tropum grammaticum, cum solius effectus ellipseos rationem haberent. Quibus finibus uteretur quibusque condicionibus ex linguae legibus ac dicendi usu sumptis coerceretur, ne unus quidem enodate explicavit. Quamobrem taedio quodam a sterili hac rhetorum doctrina revocati indagabimus praecepta eorum, qui sano atque utili iudicio de ellipsi usi sunt. Prae ceteris eminet Quintilianus. Scribit libri IX cap. 3, 58:

At quae per detractionem fiunt figurae brevitatis novitatisque maxime gratiam petunt; quarum una est ea, quam libro proximo in figuras ex συνεκδοχῇ distuli, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intellegitur, ut Caelius in Antonium „stupere gaudio Graecus"; simul enim auditur „coepit". Cicero ad Brutum: „sermo nullo scilicet nisi de te; quid enim potius? Tum Flavius, Cras, inquit, tabellarii, et ego ibidem has inter coenam exaravi". Quintilianus aperte significat verba, quae leguntur proximo libro — VIII 6, 21: *quidam συνεκδοχὴν vocant et, cum id in contextu sermonis, quod tacetur, accipimus; verbum enim ex verbis intellegi, quod inter vitia ellipsis vocatur:*

„Arcades ad portas ruere" (Verg. Aen. XI 142).

Mihi hanc figuram esse magis placet.

Proxima est quaestio, quid sit συνεκδοχή. Locis qui huc pertinent perpensis (cf. Cornif. IV 44; Cic. de orat. III 168 *(intellectio)*; Tryphon. ap. Walz. VIII 739, Speng. III 195; anon. ap. W. ib. p. 691—693; 718, Sp. ib. p. 209, 25; Gregor. Cor. ap. W. ib. p. 769, Sp. ib. p. 219, 11; Cocondr. ap. W. ib. p. 790, Sp.

p. 236, 28; Georg. Choerobosc. ap. W. ib. p. 809, Sp. ib. p. 248, 11; Quintil. VIII 6, 19 seq.; Charis. ap. Keil. I p. 274; Diomed. ib. p. 459, Donat. ib. vol. IV p. 400; id. ad Terent. Andr. 261; Pompeius ap. Keil. V 307; Mar. Plot ib. VI p. 468; Claud. Sacerd. c. 178 excerpt. ex commentar. Donat. cod. Sangerman. 291 ap. Keil. vol. V p. 328; Albinus ap. Halm. p. 545, 19; Beda ib. p. 613, 24); apparet propriam synecdoches vim positam esse in eo, ut sub singulis pluribusve verbis per se ipsa minorem angustioremque ambitum ac significationem habentibus aliquid maius ita quasi subdatur, ut facile intellegi possit (cf. de hac re: G. Dannehl, *de tropis* part. I. p. 33 seq. Hal. Sax. 1868). Synecdochen autem rectius non nisi in singulis notionibus adhibendam esse, quod Dannehlius, etsi haud ignorat veteres ipsos aliter sensisse, tamen postulare videtur, intellegi nequit, praesertim cum non solum expresse a veteribus negatum (cf. Georg. Choerob. l. l. Claud. Sacerdot.), sed etiam ellipsis, qua non singula tantum verba subaudienda supprimuntur, species eius habita sit (cf. Quintil. l. l.); praeterea hoc ea quoque re aliquantulum confirmatur, quod a multis veterum rhetoribus eadem definitio generalis et ad synecdochen et ad ellipsin translata est, sc. verba ... *ἐστί φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη*, quibus ad ellipsin definiendam utuntur: Zonaeus ap. W. VIII p. 684, anon. ib. p. 721 — 722, Trypho. ib. p. 745, Gregor. Corinth. ib. p. 772, Georg. Choer. ib. p. 813: cf. ap. Sp. III p. 167, 18; 198, 16; 211, 27; 221, 13; 252, 2; ad synecdochen praeter Tryphonem, Gregorium Corinthium, Georgium Choeroboscum etiam anonymus ap. W. VIII p. 718.

Quaeret quispiam, utrum Quintilianus verbis illis, quae leguntur VIII 6, 21 id sibi voluerit, ut ellipseos terminum etiam a se ipso speciei illi synecdoches, qua subtractum aliquod verbum satis ex ceteris intellegeretur, ut figurae tributum esse diceret, an id, ut omnino ei non tribuendum esse doceret. Alteram illam quaestionem negavit G. Dzialas, *rhetorum antiquorum de figuris doctrina*, Vratislav. 1869 p. 15; Quintilianum enim non dicere, quo nomine appellari velit speciem illam synecdoches, atque verbis *quod inter vitia ellipsis vocatur* dilu-

cide demonstrari ellipsin eam ei visam esse vitium, cum verbum subtractum aliquod non satis ex ceteris intellegeretur. — Iudicium pendet ex quaestione, quid sibi velint verba inter vitia. Ut notum est praepositionem inter cum nominibus coniunctam saepe brachylogice ex Livii aetate loco enuntiati coniunctionibus subiuncti vel ablativi absoluti ita adhiberi, ut status vel condicio, qua aliquis vel aliquid utatur, significetur (cf. Draeger, hist. Synt. I § 273), ita dubitare licet, utrum nostro loco verba inter vitia posita sint pro cum inter vitia sit an pro cum inter vitia habeatur. Si illud amplectimur, supponamus Quintilianum ipsum eam dicendi brevitatem, qua aliquid ita subtrahitur, ut satis ex ceteris intellegatur, vitium habuisse cogimur; si autem altera explicatio vera est, elucet in eo verti sensum, ut ab aliis hominibus synecdoches illa species inter vitia habita et ellipsis vocata sit. Quamobrem, cum a scriptore nostro terminus ellipseos non nisi ad soloecismi illud vitium (cf. I. 5, 40) conlatum sit, cumque ipse eam dicendi formam, qua aliquid sic omittitur, ut tamen quasi latenter dicatur, minime vitiosam esse doceat (cf. IX 3, 58; VIII 6, 21 *mihi* figuram *hanc esse magis placet;* figuras enim non inter vitia habuit, sed inter praecipua orationis ornamenta: cf. IX 1; 2, 1—3; 3, 2 seq.), non verbum esse, sed haberi vel simile quid supplendum est. Tenendum igitur est, non a Quintiliano, sed ab aliis ellipsin illam ad synecdochen spectantem vitiis esse adnumeratam. Immo vero, inquit Dzialas, Quintiliano vitium videbatur ea ellipsis, qua aliquod verbum subtractum non satis ex ceteris intellegi potest! Quid? dixitne Quintilianus tale quid? nonne expresse (IX 3, 58 seq.) hanc brevitatis formam, id quod supra iam p. 18 s. demonstravimus, aposiopesin vocavit et inter figuras sententiarum eunmeravit? Sine dubio verba *verbum enim ex verbis intellegi, quod inter vitia ellipsis vocatur* simplicissime rectissimeque perinde explicantur ac si Quintilianus dixisset, verbum ex verbis intellegere, quod ab aliis inter vitia habitum et termino ellipseos vocatum est, figuram esse mihi magis placet. Patet igitur Quintilianum non tam iis repugnasse nostris verbis, qui ellipseos

terminum ad synecdochicam illam brevitatis speciem rettulissent, quam iis, qui rem eo significatam vitiis orationis adsignassent; quae cum ita sint vocem hanc neque ad verba *cum id in contextu sermonis quod tacetur accipimus* neque ad illud *verbum ex verbis satis intellegi*, sed ad ipsam vocem ellipsis, id quod longe proximum est, referimus. Habemus igitur apud Quintilianum illam ellipseos definitionem, qua non solum natura eius, sed etiam quasi ambitus circumscribitur, scilicet eam, qua docemur ellipseos pro synecdoches ratione id esse proprium, ut nihil omittatur, nisi quod latenter indicetur. Cuius rei quasi vestigia leniter pressa supra iam vidimus apud Aquilam Romanum (cf. p 29), neque alienum est, Phoebammonis verba quae leguntur ap. Walz VIII p. 498, Spengel. III p. 46, 7 huc referre: *ἔλλειψις δέ ἐστι παράλειψις λέξεως νοουμένης ἐκ τῆς συμφράσεως, ὡς ἵνα εἴπωμεν „αὐτὸς Κύριος τοῦ πράγματος, αὐτὸς ὁ πείθων τοὺς ἄλλους, αὐτὸς ὁ κελεύων“· παραλέλειπται γὰρ ἐν τούτοις τὸ „ἐστί“.*

Quare vides a veteribus tria ellipseos genera esse distincta; sunt autem:

1. ellipsis illa ad vocum formas pertinens, qua significatur defectus syllabae vel unius litterae unius vocis proprius: species est barbarismi, qui dicitur, i. e. vitium.

2. ellipsis illa a grammaticis rhetoribusque tropos grammaticos tractantibus circumscripta, qua syntacticus et a iusto dicendi usu remotus defectus praepositionum adverbiorum nominum verborum comprehenditur: species est soloecismi, i. e. vitium.

3. ellipsis illa rhetorica, qua id breviloquentiae genus amplexi sunt, quo notiones singulae pluresve non subtrahuntur nisi satis reliqui sermonis contextu indicantur; species est synecdoches, quae a nonnullis inter vitia orationis, a Quintiliano inter figuras habebatur.

Paene ineptius quam plerique veterum grammatici recentiores de ellipsi iudicarunt. Prae ceteris denotandus est Sanctius, cuius praecepta perversissima usque in nostrum

saeculum durabant. In Minervae vol. II p. 1—413 (ed. C. L. Bauer 1801) ineptias suas proposuit. Summum autem vitium ex quo cetera nata sunt admisit, quod figuras constructionis, quibus adnumerat ellipsin, anomaliam esse iussit, cum nos contendamus figuras esse iustas orationis formas ex ipsis linguae legibus eiusque ingenio, ut ita dicam, progenitas. Quo factum est, ut doceret *ellipsin esse defectum vel dictionum ad legitimam constructionem*, i. e. illegitimam atque vitiosam orationis formam. Quaenam est constructio legitima ex Sanctii doctrina? Exempla omnes in hanc quaestionem inquisituros docebunt eam esse, qua expresse propriisque verbis dicantur, quaecunque ab oratore cogitentur, ita ut necessario suppleantur, quae orator cogitavit quidem, sed consulto suppressit. Nimirum tale praeceptum plane ambiguum Sanctium eo adduxit, ut — quod exempli causa ex multis erroribus hic ponatur — casuum syntaxeos maximam partem plane inepte conformaret, quia non ipsam casuum vim perspicere studuit, sed eorum significationem omissione praepositionum quasi in auxilium vocata explanavit. Ut hoc unum afferam, genetivum partitivum pendere ex omissis vocibus exnumero (cf. p. 25) docuit; verba impersonalia non esse impersonalia, sed ubique subiecti notionem esse supplendam: ut pluit pro pluvia pluit vel, quia intransitiva verba ellipsi pronominis se essent orta ex transitivis, pro pluvia se pluit (cf. p. 29).* Hac autem ratione

* Sine dubio eiusmodi verba originem traxerunt ex eo, quod homines posthabita quaestione, quis esset, qui naturae vices regeret, ea invenerunt, ut simpliciter naturae quasi portenta describerent (ut apud Germanos dicitur *es donnert* sim.); neque ex eo quod postea ab hominibus magis eruditis cum verbis his subiecti loco deorum nomina aliaeque notiones (ut *caelum, dies* sim.) coniuncta sunt, ita ut vim impersonalem plane amitterent, potest concludi, quod novissimus fecit grammaticus Latinus R. Kühner in vol. II p. 3, a scriptoribus veteribus haec verba omnino non nisi ut personalia esse usurpata, ita ut ubi subiectum ab iis additum non esset, ellipsis statueretur. Hoc recte se non habet. Nam licentia verba nostra personaliter construendi non coëgit veteres, ut ubique eam structuram adhiberent. Itaque causa non est, cur iis locis, ubi subiecti notione illa carent, ellipsin statuamus, praesertim cum ab iis, qui in universum de verborum impersonalium ratione grammatica quaerere volunt, ellipseos adiumento prorsus abstineri opus sit.

totam fere syntaxin contaminavit amplosque ellipsium indices conscripsit. Sanctii commenta a Scioppio, cane illo grammatico, et a Perizonio magis exculta et in grammaticorum libros inducta sunt, ita ut vix unus eis repugnaret; immo vero tantum aberat, ut viri docti ineptam illam doctrinam ellipticam reicerent, ut singuli vel crassis voluminibus conscriptis thesauros ellipsium cumularent, in quibus omnia fere, quae coniunctione verborum aliquid difficultatis habebant, ellipseos quasi instrumento explanare studebant. Nostro demum saeculo haec ellipseos licentia *finibus suis se continere et certis quibusdam finibus uti iussa est a* Godofr. Hermanno. Is enim (op. I p. 181 s.) docuit tritam illam definitionem, ex qua esset ellipsis omissio verbi necessarii ad integritatem orationis, propter ambiguitatem suam et socordiam credulitatemque virorum doctorum fuisse fontem dementiae illius, quia nec dictum esset, quid esset necessarium quoque modulo metiendum, nec quid sibi vellet illa orationis integritas; brevem enim et copiosam orationem esse integram nec magis eum, qui brevitati in dicendo studeret, quidquam omittere, quam superflua adiungeret, qui copiae; *quod si quis integram orationem vocandam censeret eam, quae pro consilio eius, qui loqueretur aut scriberet, nunc concisior esset, nunc explicatior, is pleonasmum cum copia, ellipsin cum brevitate confunderet.* Quamobrem, cum de ellipsi quaereretur, integritatem non posse aliam intellegi nisi eam, qua omnia quae orator cogitari vellet, verbis etiam propriis dicerentur, i. e. integritatem grammaticam; ellipsin igitur esse omissionem vocabuli, quod etsi dictum non esset, tamen cogitaretur. Integritati igitur grammaticae secundum Hermanni definitionem ellipsis quasi lacunam infert, quia orator aliquam notionem, quam cogitari vult, proprio verbo non exprimit, ita quidem, ut sententiarum integritas efficiatur, verborum non efficiatur. — Quae acutissime ab Hermanno esse exposita etsi non negabis, tamen id fortasse mecum vituperabis, quod sententiarum integritatem pendentem fecit ex eo, utrum pro consilio ac voluntate oratoris omnia dicta essent, necne. Quis enim pro certo affirmare potest, hoc neque aliud quid oratorem cogitasse? qua ratione

[illegible] [illegible] verum neque ullam sententiarum [illegible] [illegible] sermonis [illegible] fagrantur [illegible] sibi [illegible] Itaque non ex verborum [illegible] vel ex sententiarum [illegible] res metienda est. Integritas autem est, si sententia, quae sensu atque verborum [illegible] non sicut fagrantur sed etiam coërcetur, propria verba [illegible] expressa est.

Sed hoc non sufficit: Hermannus enim in sequentibus [illegible] [illegible] [illegible] ad aliud quoddam breviloquentiae genere, quo aliquid omittitur, quod ex antecedentibus vel sequentibus verbis intellegendum est, acriter secreverit. eam non esse [illegible] videtur, nisi id, quod intellegendum relictum esset, nec in antecedentibus nec in sequentibus latenter indicaretur. Sed idem Hermannus alteram illam breviloquentiae formam [illegible] finxit esse positam in eo, quod verbum omissum esse videretur ac tamen notione aut prorsus eadem aut simili quidem in antecedentibus vel sequentibus verbis significatum indeque subintellegendum esset; ac cum praeterea vir ille doctus ellipsin prorsus aliam esse voluerit atque aposiopesin, qua et oratio et sententia plane interrumperetur, clarum est ellipsin ab eo tanquam in medio positam esse inter duas has breviter dicendi formas, i. e. ellipsi verbum omissum non magis latenter dici quam prorsus neglegi; eius autem imaginem quasi ac speciem alia ratione sive propria verborum coniunctione sive sententiarum conexu in audientium legentiumque animis excitari. Quod recte a me disputatum esse nescio an ex alia ellipseos definitione perspexeris, quam Hermannus in commentatione *de differentia pros. et poët. orationis* op. I p. 108 hisce verbis circumscripsit *ellipsis est figura qua non dicendo aliquid dicimus.* — Quae cum ita sint tres formas breviloquentiae apud Hermannum deprehendimus:

1. prima posita est in integritate et verborum et sententiarum: id quod omissum est, etsi latenter, tamen expresse dicitur (cf. Herm. l. l. p. 151), ut:

> ὦ μῆτερ ἥτις ἐκ τυραννικῶν δομῶν δούλειον ἦμαρ
> εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς, ὅσονπερ εὖ ποτ᾽·

latet verbum omissum ἔπρασσες in eo quod praecedit πράσσεις.

2. altera in sententiarum integritate, verborum quadam imminutione vel detractione: id quod omissum est, etsi non expresse dicitur, tamen alia ratione indicatur, ut *quid hoc ad me;* intellegendum esse *attinet* unusquisque videt; omitti potuit, quod cotidiana dicendi consuetudine satis indicari omissum praesumendum fuit. cf. ap. Graec. τί τοῦτο πρὸς ἐμέ; ap. Lat. *haec secum*, alia. Est autem haec vera ellipsis.

3. tertia in sententiarum et verborum quasi abtruncatione, i. e. aposiopesis: cf. Aristophanicum illud, ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' — Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι, et Vergilianum: *quos ego — sed motos praestat componere fluctus.*

Hermannus ad Viger. p. 869 commentationem quam modo tractavimus repetivit praefatus de idiomatum formis, quorum unam versari censet in iis, quae praeter naturales linguae leges usu introducta sint; quibus adnumerandam esse ellipsin. Sed iam Fr. Haase, *Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft*, ed. F. A. Eckstein, Leipz. 1874 vol. I p. 202 fundamentum huic Hermanni doctrinae subtraxit: docuit enim, in usu positam esse linguae legem ac rationem neque usum praeter naturales linguae leges neque has praeter usum posse conformari. Itaque ellipsis non est idioma linguae legibus oppositum, sed dicendi forma ex ipso linguae ingenio ac indole nata. — Ibidem Haase definitionem ellipseos, quam Hermannus proposuit verbis *ellipsis est omissio vocabuli quod, etsi non dictum, tamen cogitatur*, fere ut ineptam abicere studuit, quia nihil cogitari posset, quod dictum non esset aut in quod alia ratione ipsis loquentis verbis induceremur. Supra p. 35 s. iam demonstravimus id ipsum, quod Haase desiderat, esse ab Hermanno de ellipsi praeceptum. Haase sola definitione Hermanni considerata verbis eius deceptus est. Attamen Haasii animadversionibus adducimur, ut iudicemus Hermanni definitionem, quia eam rem, qua proprie nititur, scilicet ut id, quod dictum non sit, tamen aliqua ratione indicetur, plane omittat, non esse definitionem, nisi haec condicio expresse in eam recipiatur; nam id est definitionum proprium, ut nec plus nec minus dicant, quam quod res definienda postulat. Itaque Hermanni definitionem mu-

tandam esse censeo in hunc fere modum: ellipsis est omissio vocabuli, quod etsi nec proprie nec latenter dictum tamen ita significatur, ut cogitari possit.

Praeter Haasium alius quidam, Melhorn, in commentatione *de schematis ἀπὸ κοινοῦ ratione et usu in lingua graeca*, Glogau 1833, Hermanni definitionem quasi emendasse sibi videbatur additis verbis ... *cogitatur a grammatico*, quia dici deberet, a quo vocabulum omissum esset cogitandum. Frustra! cf. Sommer in *Zeitschr. für d. Alterthumsw.* 1836 p. 98 seq. Ceterorum de ellipsi praecepta quae examinavimus, Reissigii, Ramshornii, Handii, Weissenbornii, Krügeri, Zumptii, Madvigii, Riessii, F. Schulzii, Naegelsbachii, Kühneri tam prope accedunt ad Hermanni doctrinam, ut singula ad calculos vocari non debeant. Etiam nos acquiescimus in definitione illa, quam secundum Hermanni et Haasii praecepta proposuimus. In eo autem offendimus, quod terminus ellipsis ex significatione sua etymologica parum consentit cum re, quae ei subicitur, ita ut, nisi iusta accedit explicatio, facile errores gignere possit. Quamobrem etiam hoc termino a viris doctis abstineri iubemus.

IV. De Figura *ἀπὸ κοινοῦ* et de zeugmate.

Phoebammo ap. Walz. III p. 498, Spengel. III p. 46 figuram *ἀπὸ κοινοῦ* dictam in capite *περὶ ἐνδείας* scripto hisce verbis circumscripsit:

ἀπὸ κοινοῦ δέ ἐστι λέξις ἅπαξ μὲν λεγομένη, πολλάκις δὲ νοουμένη καὶ συντασσομένη, ὡς ἵνα τις εἴπῃ „ἀπελθὼν ᾔτησα τοὺς ἄνδρας, μάλιστα δὲ τόνδε καὶ τόνδε“. ἀπὸ κοινοῦ γὰρ συντάσσεται ἐνταῦθα τὸ „ᾔτησα“. Similia sunt verba, quae librarius quidam in codice Vaticano adiecit Georgii Choer. commentationi de tropis ap. Walz. p. 819 (cf. p. 818 ann.), Spengel. III p. 256, 10: *ἀπὸ κοινοῦ ἐστι λέξις ἅπαξ μὲν λεγομένη, καὶ ἔξωθεν λαμβανομένη, οἷον „ἀπελθὼν ᾔτησε τοὺς ἄνδρας, μάλιστα δὲ Χαρίδημον καὶ Ἵππαρχον“· καὶ Ὅμηρος*

„ἐλίσσετο πάντας Ἀχαιούς,
Ἀτρείδα δὲ μάλιστα“.

ἀπὸ κοινοῦ γὰρ ἐπ' ἐκείνους μὲν τὸ „ᾔτησεν", ἐπὶ τούτου δὲ τὸ „ἐλίσσετο". — Praeterea huc pertinet Herodiani definitio, quae legitur ap. Walz. VIII p. 594, Spengel. III p. 94, 17:

ἀπὸ κοινοῦ μέν ἐστι λόγων συνέχεια ἐν διανοίᾳ κοινωνοῦσα ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἑνὸς ῥήματος εἰς συντέλειαν, οἷον et q. s. (sequitur exemplum, quod modo apud Pseudo-Choeroboscum invenimus). Trium harum definitionum proprium est, ut verbum ad unum enuntiati membrum positum ad cetera prorsus eadem et significatione et forma suppleri iubeant. Paullo aliter rem sibi finxit Tiberius, qui, etsi propriam definitionem non proposuit, tamen exemplo quod attulit certiores nos fecit a veteribus etiam ad figuram ἀπὸ κοινοῦ relatam esse eam dicendi formam, qua ex verbo ad unum enuntiatum positum idem verbum pari significatione, sed forma mutata ad aliud suppletur. Docet ap. Walz. VIII p. 566, Spengel. III p. 76, 25: τὸ δὲ ἀπὸ κοινοῦ οὕτως· „καὶ τῷ μὲν Εὐβαίῳ τῷ τὸν Βοιωτὸν ἀποκτείναντι πολλὴν συγγνώμην ἔχω· δοκοῦσι δέ μοι καὶ τῶν δικασάντων τότε πολλοί". ἀπὸ κοινοῦ „συγγνώμην ἔχειν". εὐειδὲς τὸ σχῆμα.

Haec inveni de figura ἀπὸ κοινοῦ apud veteres. Quae de zeugmate quaesiverunt bene collegerunt Volkmann p. 405 s. et Dzialas in programmate *rhetorum antiquorum de figuris doctrina*. Restat ut recentiorum praecepta de hac breviloquentiae forma perlustremus. Multi, qui termino zeugmatis id breviloquentiae genus circumscribi volunt, quo idem verbum, quod in enuntiato ex pluribus membris composito ad unum solum positum est, simul ad cetera eadem significatione, sed alia interdum forma grammatica refertur, zeugma loco figurae ἀπὸ κοινοῦ adhibent: cf. Sanctius II 347 (iugatio, conexio) Ger. Jo. Vossius, *gramm. lat.* ed. 1631 p. 93; Jul. Caes. Scaliger, *de causis linguae,* 1597 ed. p. 431; Ruddimannus, *institut. gramm. lat.* 1725—1731 ed. Stallbaum 1823 p. 362, qui, prout verbum supplendum distat a verbo posito numero genere persona, distinxerunt zeugma numeri generis personae. — Quidam prout verbum positum erat ad primum vel alterum vel extremum orationis membrum zeugmatis proposuerunt has formas: pro-, meso-, hypo-zeugma (cf. Scalig. l. l., Ruddim. al.).

Sanctius iam l. l. repugnavit tali distinctioni, quia semper quocunque modo poneretur verbum zeugma esset. Ramshornius, *gramm. lat.* ed. II 1830 p. 1020 seq. zeugma in grammaticae formae diversitate positum ita secrevit a figura *ἀπὸ κοινοῦ*, ut hanc referret ad eam breviloquentiae formam, qua verbum ad plura membra relatum significatione sua solum ad unum idque proximum quadraret, ita ut ad cetera simile praedicatum supplendum esset. Alii contra plane commutata termini zeugmatis significatione hanc Ramshornii figuram *ἀπὸ κοινοῦ* appellaverunt, ut Sanctius, Perizonius, alii; item plerique grammaticorum nostrae aetatis. Ut rem breviter comprehendamus dicendum est nostris temporibus zeugma et figuram *ἀπὸ κοινοῦ* dictam ita distingui solere, ut illud positum sit in eo, quod verbum positum distat a verbo supplendo significatione, haec in eo, quod unum idemque verbum eadem significatione, sed diversa interdum forma grammatica ad plura membra refertur. Sed huic distinctioni ideo repugnandum est, quod duae hae notiones, quae, quod ad etymologiam, inter se plane consentiunt, ad res diversas transferuntur, ita ut facile errores gignere possint. Multo igitur cautius Haase egisse videtur, qui in dilucida sua de figura *ἀπὸ κοινοῦ* scripta commentatione (cf. Vorles. ed. Eckstein I p. 203 seq.) hunc terminum rettulit ad omnia eius breviloquentiae genera, quae posita est in eo, ut verbum aliquod plurium enuntiati membrorum proprium ad unum tantum ita additum sit, ut ad cetera suppleatur. Magis etiam laudandus fuisset, si terminum zeugmatis ad eam speciem huius figurae appellandam, qua verbum significatione diversum ex alio verbo posito suppletur, plane abiecisset. Nihil enim proficitur talibus terminis nisi rem, ad quam referuntur, plane et circumscripte definiunt, i. e. termini iam etymologica sua significatione ita conformata esse debent, ut nec plus nec minus significent, quam res est, cui induntur.

Sed haec hactenus de terminorum historia ac significatione. Quaerentibus nobis quomodo fieri possit, ut dicentis cogitationes, etsi plene propriis verbis expressae non sint, tamen satis

facileque intellegantur, haec proxime ad veritatem accedere visa sunt (cf. Riess, *de ellipsi in lingua lat.* p. 15 seq.): dicendi consuetudo singulas sententias verborumque coniunctiones, cum quasi in omnium ore cotidie essent, ita tractavit, ut non plenas eas conformaret, sed quasi obtruncaret, quia paucis tantum verbis positis statim totum enuntiatum perinde audiretur ac si plenum esset. Hinc proverbiorum aliarumque formularum mira saepe brevitas. Praeterea adverbia, pronomina certis casibus posita, praepositiones cum nominibus coniunctae, casus obliqui, imprimis ablativi modi causae, similia, cum ad proprium verbum spectarent, efficere potuerunt, ut verba agendi dicendi sentiendi, al. omitterentur. Vix longi esse debemus in eo, quod contendimus non minus ex celeritate quadam dicendi, ut vivide aliquid narraretur et depingeretur, brevitatem quandam nasci potuisse, qua vis ac color orationis augeretur. Sed haec breviter dicendi genera cum plerumque etiam cotidiano sermoni inservirent ideoque maxime in eorum scriptis adhiberentur, qui ad sermonem vulgarem quam proxime accedere studebant, comoediarum, epistolarum, sermonum (saturarum) scriptores, nos non tam occupare poterunt quam quaestio illa, qua ratione Tacitus, omnium scriptorum Latinorum, qui oratione pedestri usi sunt, non solum longe brevissimus, sed etiam grandissimus singulas breviloquentiae illius formas excoluerit. Quod autem summa arte illum fecisse remota grata sermonis vulgaris neglegentia cum expeditum est eo, quod ipse fuit inter eloquentissimos eruditissimosque suae aetatis homines, tum fieri debuit, quia, quod ipse confessus est, scriptorem foedissimorum temporum historiam enarraturum summam gravitatem austeritatemque, qua res atrocissimae denotarentur quam brevissime, adhibere decuit. Sed iam in singula inquiramus! Qua in re ut omnino venia nobis opus est, ita praecipue id petimus, ne vituperemur, quod in locis dubiis tractandis interdum etiam talia exhibuimus, quae iam dudum sunt refutata; fecimus autem, ut cognoscatur, qua ratione de Taciti brevitate iudicatum sit vel hodie quoque iudicetur.

De verborum omissione vel suppressione.

In universum praemittendum est nos valde improbare viam illam, quam plerumque viri docti adhuc ingressi sunt, materiae ita distribuendae, ut aut maiorem haberent rationem significationis verborum omissorum — distinxerunt enim hac fere ratione: desunt verba dicendi, sentiendi, agendi, movendi, alia: cf. Schmidt, Draeger — aut plus tribuerent quaestioni, utrum fieret omissio in enuntiatis primariis an secundariis (cf. Wetzell), quam quibus condicionibus secundum rationem grammaticam rhetoricam logicam omnino talis omissio posset admitti. Ad idem enim redit secundum rationem grammaticam logicamque, si omnino elocutio ita conformata est, ut notio aliqua omitti possit, utrum verbum dicendi an agendi, utrum in enuntiato primario an secundario omittatur. Itaque nos in eo laboravimus, ut ex ratione grammatica et logica condiciones omissionis primo loco collocaremus, secundo et tertio loco quaereremus, utrum omissio verborum agendi dicendi al., utrumque in enuntiatis primariis an secundariis facta esset.

NB. Locos singulos adscripsimus secundum numeros recognitionis Halmianae tertiae.

§ 1.

Verbum omittitur quia satis indicatur

1. adverbio, quod solum ad verbum certam actionem indicans poni potest.

Germ. 19, 9/11: *melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur:* om. agunt. — Ann. I 43, 3 *melius et amantius ille, qui gladium offerebat.* — IV 38, 18/19 *melius Augustum, qui speraverit.* Dictio praepositionalis accedit ad adverbium: H. IV 32, 7—8 *ad ea Civilis primo callide.* — Loci dubii:

An. XIV 7, 11: cod.: *Post Seneca hactenus promptius respiceret Burrum* et q. s. Mutila sunt; Heraeus, *zur Kritik und Erklärung des Tacitus*, Hamm 1859, simplicissimam emendationem promptius, ut improbavit, quia nec prompte vel promptius apud Tacitum elliptice, i. e. omisso verbo agendi usurpatum esset nec talis verbi omissio nisi in enuntiatis brevissimis fieri potuisset; praeterea sensum verborum promptius sc. egit non prorsus quadrare; itaque scribendum esse prompsit, ut. Ed. Wölfflin, Phil. 27 p. 114 palmarem hanc coniecturam vocavit. Sed et promptius adverbium, etsi elliptice a Tacito adhibitum non est — quod casu factum esse videtur — tamen non minus quam adverbia illa melius, amantius valet ad verbum agendi supplendum et sensus perinde quadrat ac si prompsit, ut scriberemus (cf. Doederlin., Nipperd., Orell. Halm. edd. et Halm in Jahrb. f. Phil. 109 p. 414).

XI 9, 9/13: *at Parthi imperatores cum pugnam pararent foedus repente faciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; congressique primo cunctanter, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci* et q. s. Walther olim recepit in textum emendationem cunctantur, sed in annotatione commendavit codicis lectionem in hunc modum explicandam postquam congressi erant

cunctanter, sc. agunt. Grammatica ratio non obstat Walthero, sed simplicius cunctanter iungitur cum congressi; verbum finitum totius enuntiati est pepigere.

IV 47, 4 seq. *ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. quidam audentius apertis in collibus visebantur, quos dux Romanus ... pepulit.* Doederlein: audentius sc. agentes; Nipperdey: audentius, weil visebantur so viel ist als „*sie zeigten sich*". Neutrum placet. Neque Roth, Agr. p. 217 rem expedivit, cum locum nostrum eis exemplis adnumeraret, quibus Taciti ratio adverbium pro attributo usurpandi circumscriberetur. Longum est, hanc brevitatis formam totam hoc loco tractare; sed Tacitus adverbia attributive non posuisse videtur nisi inter substantivum et notionem attributivam: cf. Agr. 3, 18 *hic interim liber;* An. II 20, 8/9 *sensit dux imparem comminus pugnam.* Exempla, quae Roth l. l. congessit, nihil ad locum nostrum explicandum valent et pleraque aliter explicanda sunt. Vera, opinor, interpretatio nostro loco exemplum quasi deprehendet eius breviloquentiae, qua aliquid, quod ex duabus quasi partibus constat, in unam contrahitur sententiam cf. An. IV 3, 2 *et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat,* quae dicta sunt pro dolo opus erat isque intervalla poscebat (cf. Halm, J. Jahrb. 55 p. 403); Agr. 12, 2 seq.: *olim regibus parebant, nunc per principes* (reguntur et) *factionibus et studiis distrahuntur* (cf. Baehrens, m. cr. p. 162). Sic nostro loco audentius apertis in collibus visebantur dictum est pro audentius apertis in collibus versabantur ibique visebantur. Itaque causa non est scribendi versabantur pro visebantur.

2. ablativo modi, cuius vis prope accedit ad notionem adverbialem.

Ex locis, quibus verbum agere positum est post ablativum modi (ut An. II 64, 13 *sed primo subdola concordia egere;* — VI 27, 17/18: *qui ... illustri ... fortuna egere,* al.) elucet omissionem huius verbi exstare: H. III 45, 13/15 *et cohortes alaeque nostrae variis proeliis; exemere tamen periculo*

reginam. Hoc loco verbum agendi non nisi ablativo variis proeliis indicatur; minime id suppleri potest, quod Andresen nuper voluit, ex verbo exemere, quippe quod significatione longius distet a verbo omisso. — 67, 10/11: *voces populi blandae et intempestivae; miles minaci silentio;* — II 88, 1/3: *multae et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu.* Sic interpungimus cum Halmio et Nipperdeio, quia Heraei explicatio, qua in verbis manente-consensu arte inter se coniunctis ex voce manente ad ablativum consensu aliud verbum per zeugma supplere iubemur (fort. herrschen), durior est propter asyndeticam verborum discordia consensio coniunctionem. — Haud dissimile iudicium nobis est faciendum de loco — V 22, 8/10: *utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant.* Neque cuncta silentio miscere licet neque ex miscebant per zeugma (cf. infra) suppleri potest agebant, utebantur, quia nimium interest inter horum verborum significationem. Est vera omissio verbi agendi excusata ablativo modali. (cf. J. Müller, *Beiträge zur Kritik und Erklärung des Tacitus*, Innsbruck 1865—1875, fasc. IV p. 43/44.)

An. XIV 23, 9 s. *igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inmitis iis qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit.* Sic codicis verba vulgo interpungebantur. Iure autem Nipperdeium offendisse in eo, quod tres illi ablativi diversis artibus, misericordia, celeritate insolentius ut ablativi qualitatis ad verba dux Romanus referrentur, apparet iam satis ex iis, quae Müller, l. l. p. 39 seq. uberius et sagaciter exposuit. Nipperdey inseruit vocem usus post artibus violentius quam rectius. Displicet enim, quod hac ratione verba diversis artibus, misericordia ..., celeritate nimis arte cum extremis immitis — exurit coniunguntur, ut quibus res nec diversis artibus nec misericordia nec celeritate, sed sola inclementia quadam peracta comprehendantur. Sine dubio cum Müllero interpungendum est: *igitur dux Ro-*

manus ... profugos; inmitis — exurit. Ad ablativos illos intellegitur verbum agendi (cf. etiam Andresen, Jahresbericht des philol. Vereins in Berl. 1877 p. 73 et in ed. Nipp. IV; Th. Opitz, J. Jahrb. 113 p. 267; J. Prammer, Zeitschr. f. österr. Gymn. 26 p. 919 seq.).

An. XI 35, 12/13: cod. *Eadem constantia et inlustres equites Romani cupido mature necis fuit* (cod. G. *equites Romanos cupidos maturae necis fecit) et Titium Proculum custodem a Silio Messalinae datum et indicium offerentem Vettium Valentem et Pompeium Urbicum ac Saufeium Trogum ex consciis tradi ad supplicium iubet.*

Priores editores commendarunt Gudiani scripturam (cf. Walther, Bach, Ruperti, Doederlein, Ritteri ed. Cantabrig.); item olim Haase, deleto et ante Titium; postea iussit nos mutare *eadem constantia ... cupidi maturae necis fuerunt. Titium* et q. s. (cf. Halm. adnot. crit. p XXVII). Nipperdey delevit verba cupido-fuit, quia glossema redolerent additum ad ea, quae antecederent. Sed haec causa non est delendi; nam cum in antecedentibus exemplum tantum, quod Silius maturae necis cupidus edidit, a Tacito aliis verbis narretur, propriis verbis ipsa illa cupido commemorari potuit in sequentibus. (Qui Nipperdei emendationem amplectuntur, verbum egerunt supplere debent.) Sed maxime offendendum est in eo quod, sive Gudianum sive Nipperdeium sive alteram illam Haasii emendationem sequeris, constantia illa a Tacito latenter quasi laudata referenda est etiam ad Proculum, Valentem, Saufeium, quo ex numero Valens ille, qui indicium consciorum perfidia quadam obtulit, minime laude constantiae a scriptore nostro dignus haberi potuit. Suspicor verba codicis gravius corrupta ea ratione exhibenda esse, ut post et statuatur lacuna, in qua nomina equitum illorum inlustrium et ob constantiam laudatorum olim scripta fuerunt, utque deleantur verba fuit et, quae corrupta esse ex Gudiani scriptura elucet. Scribas igitur: *eadem constantia et ..., inlustres equites Romani, cupidi maturae necis. Titium* et q. s. Supplendum est ad ablativum eadem constantia verbum egerunt. — Ritter in ed. Lips. (1864) lacunam indicavit post vocem Romani deletis verbis cupido-fuit.

Restat ut breviter de loco disseramus H. I 32, 4/7 *neque illis iudicium aut veritas quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more quemcumque principem adulandi licentia adclamationum et studiis inanibus.* Mira est virorum doctorum dissensio in ellipsi eruenda, ubi ellipsis omnino non est. Ad verba extrema Doederlein aut adulabantur ex adulandi aut agebant plane extrinsecus supplendum esse censuit, Heraeus postulabant intellegit ex postulaturis. Est autem nostro loco nihil nisi species eius breviloquentiae generis, qua verbum, quod ad plura enuntiati membra pertinet, insolentius in fine primi membri positum est (cf. infra §§ 6 et 7). Structura statim perspiceretur, si Tacitus scripsisset *neque illis iudicium aut veritas quippe eodem die diversa pari certamine, sed tradito more ... licentia ... et studiis inanibus postulaturis;* participium enim postulaturis pertinet etiam ad verba quippe-certamine. — Commemorandum est hoc loco unum exemplum, in quo verbum agendi omissum esse videtur post adverbium cum ablativo modali coniunctum: Agr. 5, 3—5: *Nec Agricola licenter* (sc. egit) *more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt; neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit* (cf. K. Fr. Hermann, Rh. Mus. 2 p. 588; Wex, proll. ad Agr. edit. p. 133 seq., Schoemann, ind. lect. hib. Gryph. 1859 p. 5 seq., Baehrens, miscell. crit. p. 131; Prammer, Z. f. ö. Gymn. 31 p. 897, Wiegand in programmate Wormatiensi a. 1861 p. 22 seq.).

3. accusativo obiecti; accedit notio aliqua modalis vel dictio praepositionalis.

a) verbum dicendi omittitur:

An. III 8, 9: *haec palam et vitato omni secreto;* — 46, 1: *non diu haec nec apud laetos;* — XV 52, 8/9: *haec in commune, ceterum timore occulto, ne* et q. s. — Haec exempla trahent hosce locos: H. III 19, 4/5 *haec in medio* (i. e. palam), *pulchra dictu;* — An. I 31, 18/19: *non unus haec ... nec apud trepidas militum aures.* — Simile est, cum ad accusativum obiecti aut enuntiatum modale additur, ut H. III 24, 8/9 *haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos veterum recentiumque admonens,*

ut et q. s. aut dictio praepositionalis ut An. IV 34, 9 *sed neque haec in principem aut principis parentem* om. dixi; — XVI 26, 1/2 *contra qui opperiendum domni censebant, de ipso Thrasea eadem.* — Dubitare licet de loco, quem huc rettulit Heraeus, Hist. I 14, 2 *quamquam nihil adhuc de Vitellio certum* om. relatum est; J. Prammer, Zeitschr. f. österr. Gymn. 1870 p. 186 suppleri voluit erat; *certum esse* uno tantum loco spectat ad id, quod certo scitur, nec eo quidem cum dictione praepositionali coniungitur: H. II. 18, 1 s.: *certum erat Spurinnae ... necdum venisse Caecinam;* praeterea saepius similiter ponitur significatione consilii certus fest entschlossen: cf. An. IV. 57, 3/4 *Caesar ... certus procul urbe degere*, al. (cf lex. Tacit. ed. A. Gerber et A. Greef p. 165). Sed nunquam dixit Tacitus certum erat de. Itaque Heraei explicationem anteponamus Prammeri.

In omnibus exemplis, quae modo adscripsimus, sequi orationem aut rectam aut obliquam enuntiatum ellipticum notandum est, cum ea re omissio verbi dicendi aliquatenus excusetur.

b) verbum agendi omittitur:

H. I 36, 11/13: „*nec deerat Otho protendens manus adorare volgum, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione*“ sc. facere. — H. III 63, 1/2 *abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, idque non sine decore* (sc. facturus) *sed sub signis vexillisque, in subiectos Narniae campos descendere.*

Dubius est locus An. IV 12, 11 seq. *igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent. Atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Julium Postumum.* Secundum rationem grammaticam offendi non potest in his verbis; suppletur enim facillime egit post *atque haec callidis criminatoribus*, quoniam Tacitus, qua erat delatorum contemptione, criminatores illos quasi instrumenta habebat (cf. Nipp. ad An. II 79, 10 s. *monetque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello temptet).* Attamen offendit Madvig, adv. crit. II p. 545, repetito Ernestii illo iudicio, quo negatur in verbis extremis constructionem aut sententiam constare, mutavitque

consentiente Halmio, J. Jahrb. 109 p. 408 *alitque haec callidis criminatoribus,* quia ex verbis insectari et exagitare longe alius significationis verbum post atque sumi non posset. Sed vir ille acutissimus magis ingenio suo, quo hanc coniecturam excogitaverat, indulsit quam iustis causis. Unusquisque enim concedet exemplis supra allatis probari, Tacitum post atque haec verbum agendi omittere potuisse (cf. etiam infra § 4). Itaque Andresen vituperandus non est, quod fecit Ign. Prammer, Z. f. österr. Gymn 31 p. 752, quod Madvigii illam coniecturam non recepisset in novissimam annalium editionem Nipperdeianam.

Dictio praepositionalis accedit ad accusativum obiecti: H. III 33, 10/13: *quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere: faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos ... iaculabantur.* Sic Halm; Heraeus interpunxit ... *eruere, faces in manibus* sc. gerentes: non placet, cum defossa eruentes vix faces in manibus gerere possint. — Praeterea fortasse huc pertinet locus haud dissimilis: H. IV 35, 5/9: *qui ubi rursum missos Novaesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos compositus invadit.* Interpunctione iam indicavimus nos Heraei interpretationem non probare, qua verba rarum-vagos epexegetice ad verba *velut multa pace ingredi* addita esse contenditur, ita ut ad singulos accusativos infinitivus esse suppleatur; immo apodosis incipit ab voce *rarum;* verba *arma in vehiculis* sc. habentes vi appositionis dicta sunt perinde ac supra verba *faces in manibus,* si sequeris Heraei interpretationem, quae secundum rationem grammaticam optime quadrat. — Reliqui sunt hi loci; Agr. 19, 5 s.: *nihil per libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare.* Non agitur hoc loco de zeugmate illo vulgari, quo notio generalis ex speciali, i. e. agere ex ascire, suppletur, quod voluit olim Koziol, Zeitschr. f. öst. G. 1870 p. 34; nimium enim generale videtur notio agere, quam ut ex notione tam angusta significatione praedita sub-

audiri possit (cf. supra pag. 45 iudicium nostrum de loco H. V 22, et infra Cap. II § 8, 2.). — H. I 84, 1: *vos quidem istud pro me* sc. egistis. Vivida est oratio. — An. XIV 6, 11/12: *testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet: id tantum non per simulationem.*

Ad accusativum obiecti accedit et notio modalis et dictio praepositionalis antecedente oratione obliqua hoc loco: H. III 13, 6: *atque omnia de Vitellio in deterius;* similiter legitur: An. VI 2 (8), 18/19: *haec adversus Togonium verbis moderans, neque ut … suaderet.*

Verbum omissum praeter accusativum obiecti accuratius significatur et dictione praepositionali et casu obliquo H. IV 75, 7/8: *ad ea Cerialis Civili et Classico nihil* sc. *respondit.*

Audacius iam egit Tacitus, cum haud raro etiam post solum obiecti accusativum omitteret

a) verba dicendi oratione obliqua aut antecedente aut sequente:

H. V 25, 12: *haec volgus, proceres atrociora;* — An. I 65, 16: *simul haec et cum delectis scindit agmen;* — XV 51, 15/16: cod: *ergo Epicharis plura et omnia scelera principis orditur: neque senatui neque populo quidquam manere.* Madvig, adv. cr. II p. 557 neque sine verbo recte dici *Epicharis plura* propter verba sequentia *et-orditur*, neque comparativum *plura,* quo referatur, habere, neque *ordiri principis scelera* de commemorandis recte poni iudicavit ideoque scripsit: *Epicharis deplorare (enumerare?) omniă* et q. seq. Jam ab Halmio, J. J. 109 p. 414 satis haec refutata sunt. cf. etiam Andresen, Jahresber. 1875 p. 39.

b) verba agendi:

Agr. 9, 8 seq. *iam vero tempora curarum remissionumque divisa; ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis intentus severus et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nullam ultra potestatis personam: tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat.*

Sic codices A et B (Urlichs); Rhenanus iam correxit *nulla … persona;* recentiores eum secuti sunt, donec Urlichs acutissimam proposuit emendationem … *satisfactum, nihil ultra: potestatis personam exuerat.* Nipperdey (Rhein. Mus. XVIII, cf. opusc. p. 234 seq.) argumentis, quae infirmari nequeunt, pro-

bavit verba tristitiam-exuerat iam ab Hofman-Peerlcampio spuria damnata defendi non posse. Nam neque vox exuerat ita vim suam induta deposuerat sibi potest exuere, ut singularis illa vis in eo insit non induerat, neque Agricolae, cuius integritatem atque abstinentiam referre iam fuisset iniuria virtutum, vitia illa a Tacito ne ita quidem obtrudi potuerunt, ut diceretur exuisse ea ut praesidum provinciarum propria; ubinam dicitur propria ea fuisse omnium, qui provincias regebant? ubinam docemur Agricolae ea insita fuisse similiter ac Agrippinae *vitia* feminarum (cf. An. VI 25)? — Frustra igitur etiam recentiorum Eussner, Fleckeis. Jahrb. 113 p. 554 solam tristitiam, Heraeus tristitiam et arrogantiam Baehrens, misc. crit. p. 134 seq. et Cornelissen in editione sua utramque et cum intellexissent, avaritiam non esse virtutem, ille amaritiem hic duritiem Agricolae servare studuerunt. Quid Tacitus de arrogantia iudicaverit facile cognosces ex lexico Taciteo p. 42. Locis autem, quos in auxilium vocavit Baehrens Agr. 16, 10 seq.; ib. 42, 9, plane nihil profici unusquisque statim intelleget, qui eos legerit. Examinantibus nobis Groningani professoris commenta a Walchio Doederlinioque olim similiter prolata suspicio mota est eum idcirco verbosam illam commentationem scripsisse, ut languida sua amaritie liberaretur. Vox enim amaritia ut casu notabili, quod ipse fatetur Baehrens, semel omnino in glossario quodam invenitur, ita nec Tacito, qui semel quidem notionem amaritudo (cf. lex. Tacit. p. 69), sed nunquam amarities adhibuit, nec Agricolae convenit. Similiter iudicandum est de duritie Cornelisseni. Sed ne tristitia quidem, quod fecit Eussner, cum coll. Plin. ep. I 10, 7 *nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum severitatis* proponeret lectionem *satisfactum, nulla ultra tristitia: potestatis personam exuerat* vel potius ... *satisfactum, nulla ultra potestatis persona: tristitiam exuerat*, a Tacito iure Agricolae tribui potuit. Ex loco Ciceroniano (de or. II 58, 236 *est plane oratoris movere risum ... maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat)* collegit ille, tristitiam esse propinquam severitati; acerbitas ex Cic. ib. 83, 340 *(nihil enim tam facile quam multitudo a tristitia et saepe ab acerbitate commode et*

breviter et acute et hilare dicto deducitur) maius est vitium quam tristitia; itaque si Agricola c. 22 acerbior dictus est, apparet ab eo non alienam fuisse tristitiam. Sic Eussner! Sed singula huius conclusionis argumenta caduca sunt. Tacitus enim ipse expresse severitatem secrevit a tristitia Hist. I 14, 11 seq.: *Piso - ex aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur;* patet igitur hominem severum et saepius misericordem minime ab eodem quasi iudice dici potuisse tristem. Accedit quod loco illo ab Eussnero collato (Agr. 22) Agricola expresse defenditur ab acerbitatis opprobrio; ibi enim legitur l. 15 seq.: *apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat comis bonis ita adversus malos iniucundus* (sensus huius loci clarior fit accepta Henrichseni egregria emendatione *et erat ut comis bonis ita* et q. s.). Dicendusne autem fuit is, qui iniucunde in malos, benigne in bonos consulere solebat, homo tristis, si in universum de eius administratione iudicari debuit? Minime! — Praeterea dicendum est, si omnino agitur de additamento nostro loco, certe insertas esse a librario tres illas notiones, ut verba *nullam-personam* explicarentur. (Idem iudicium tulit etiam Ign. Prammer, Zeitschr. f. österr. Gymn. 31 p. 183.) Itaque aut recipias Urlichsii acutissimam emendationem (cf. Andresen, Jahresber. in Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes. 32 p. 304, Wölfflin, Burs. Jahresber. 1875 p. 766), quae commendatur loco haud dissimili Hist. III 9, 14 seq.: *has ad copias ... misit epistulas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem aut terreret,* — IV 50, 15 seq.: *sed Pisonis satellitem vocabat, militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit: neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur,* aut deleas cum Peerlcampio verba *tristitiam-exuerat* ut foedissimum glossema. Qua in re monendum est opus non esse correctura illa Rhenani, quoniam ad accusativum nullam-personam iustissime suppleri potest egit; est enim Tacito dictio usitatissima personam aliquam agere: cf. H. I 30, 2 s. *vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum*

imperatoris ageret; — II 83, 1/2: *socium magis imperii quam ministrum agens;* — IV 2, 1/3: *nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat;* — An. XVI 28, 11 *denique agere senatorem ... solitus.*

Fortasse huc pertinet: An. XIV 7, 7 *quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca,* cf. infra p. 64 s. — Dubius est locus: An. XII 22, 3/5: cod. *molitur crimina et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos magos interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris.* Draeger docet ad accusativum Chaldaeos supplendum esse infinitivum adhibitos vel consultos esse, cum et ex sermonis contextu et ex sequente verbo interrogatum satis intellegatur. Non recte egisse videtur vir ille doctus.

Tacitus enim perraro tantum in annalibus cum voce obicere vel obiectare coniunxit accusativum cum infinitivo, saepissime autem solum accusativum obiecti. Res ipsa nihil miri habet examinatis locis ut An. I 44, 2, 2 *avaritiam et crudelitatem obicere,* quia agitur de notionibus, quibus ipsis solisque vitia humanae naturae propria iam ita comprehendantur, ut culpa quaedam satis exprimatur. Audacius res effecta alicui obicitur cum proprie in ipsa rei actione culpa insit: cf. An. XIV 7, 6: *naufragium et vulnus obiecit:* fere inviti adducimur, ut verbum agendi suppleamus forma participii perfecti passivi positum loco substantivi verbalis (cf. Helm. *quaest. syntact.* § 50); sed re vera haec notio suppleri non debet. Adiungit autem Tacitus in annalibus, si quidem collectaneis meis fidem habere possum, verbo obicere vel obiectare (de quorum forma cf. Wölfflin, Phil. 25, 100/101):

1. accusativum obiecti nominis substantivi aut scelus ipsum aut proprium humanae naturae vitium indicantis: cotidianum est; cf. An. I 44, 22; — IV 33, 22; — V 3, 9. VI 24 (30), 2; — 29 (35), 20; — XI 30, 6/7; — XIII 43, 10/11; — II 30, 5 et XIII 21, 23; — IV 52, 4/6; — XII 42, 16 s.; — 59, 6; — XIII 52, 4 (coll. IV 36, 5); — IV 42, 12; — III 12, 23; — 13, 1; — I 74, 12; XV 55, 16.

2. accusativum obiecti nominum, quae non sua significatione sola, sed aliis nominibus inde pendentibus culpae notionem efficiunt: ambigui sunt hi loci: — V 3, 8 *amores iuvenum;* — XI 42, 16 *cupido imperii;* nam nec amor nec cupido notionem culpae habere debent. Ea autem efficitur

a) genetivo inde pendente: An. IV 60, 13 *spe obiecta principis loci;* — V 3, 8/9: *rerum novarum studium;* — V 8 (VI 3), 4: *Aelii Galli amicitia;* — XVI 18, 15 *amicitia Scaevini Petronio obiectans.*

b) nomine praedicative addito: — IV 52, 5 *adulterum Furnium (ei) obiectabat.*

c) adiectivo attributive addito: — VI 24, 2 *exitiabilem in suos, infensum rei publicae animum obiecit;* — XIV 60, 5 *servilem amorem;* — XVI 29, 7 *tristem patris fortunam.*

d) enuntiato secundario ab accusativo obiecti suspenso: II 55, 7 s. *vetera obiectabat, quae in Macedones inprospere, violenter in suos fecissent;* — XI 4, 4 *verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tanquam vidisset Claudium* et q. s.; — (XVI 22, 1 *quin et illa obiectabat principio anni vitare Thraseam sollemne ius iurandum*).

e) participio loco substantivi verbalis posito et cum accusativo obiecti vice attributi coniuncto: — III 66, 4 s. *obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem;* — XII 22, 4 *interrogatum .. simulacrum;* — XIII 43, 6/10: *Pomponium .. detrusum, Juliam .. Sabinamque . ad mortem actas et Valerium .. Lusium . Cornelium . circumventos, iam equitum . agmina damnata (omnemque Claudii saevitiam) obiectabant;* — XIV 7, 6: *(naufragium et vulnus et) interfectos amicos obiciendo* Helm igitur non omnem materiem exhausit, cum unum tantum exemplum huius dicendi generis in annalibus inventum l. l. exscripserit (An. III 65, 5).

3. accusativum nominis substantivi, quod rem aliquam praegnanter significat, cum in ea adhibenda vel conficienda solum crimen insit: An. V 3, 8 *arma .. nepoti obiectabat;* — VI 29 (35), 20 *magorum sacra obiectabantur* (cf. XII 59, 5 *magicas superstitiones*

obiectabat); — XIV 7, 6 *naufragium et vulnus .. obiciendo*. Huc sine dubio pertinet locus noster (cf. etiam Nipp. ad XI 34, p. 39, 3). — Semel tantum in annalibus deprehendimus accusativum c. inf. post verbum obicere positum (XVI 22, 1) eumque non cum ipso verbo, sed proprie et epexegetice cum accusativo obiecti illa coniunctum. Itaque Draegeri interpretatio reicienda est (cf. etiam J. Müller, Zeitschr. f. österr. Gymn. 26, p. 645).

4. praepositionali dictione.

a) verba dicendi non omittuntur nisi oratio antecedit: An. IV 9, 2/5 *ac si modum orationi posuisset, misericordia ... animos audientium impleverat: ad vana ... revolutus, de reddenda re publica utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit*; — III 62, 14/15: *exim Cyprii tribus de* (add. Bezzenberger) *delubris*. Draegeri explicatio, qua verba nostra coniungere iubemur cum verbo exposuere (l. 10) vix laudari potest, cum interpositum sit aliud verbum memorabantur.

b) verba movendi vel similia omittuntur, quia dictio praepositionalis directionem unde aut quo aliquid venit aut pergit satis indicat (cf. Nip. ad ann. IV 57, 2):

ex: H. I 29, 1/4: *Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni iam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur; simul ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidine augentes, quidam minora vero* et q. seq. Heraeus artificiosius subintellegit ex adfertur notionem aderant. Satis enim verba ex tota urbe omissionem verbi veniendi indicant; — 51, 25 *undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama*; — II 11, 9/10 *agmen legionum alae cohortesque praeveniebant; et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque .. cohortes et equitum vexilla*, et q. seq. — Similiter explicandi sunt: H. II 26, 14/15 *ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur* (cf. An. XV 6, 14 *quae recens e Moesis excita erat)*; — An. XII 56, 13 *ripas et colles ... multitudo innumera complevit, proximis e muni*

cipiis et alii urbe ex ispa, visendi cupidine aut officio in principem; — XVI 25, 6/7: *audiret senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas.* — Non aliter iudicari debet de locis An. I 74, 8/9 *quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi* (facti) *perniciem ... invenere;* — H. IV 58, 30/32: *transfugae e transfugis proditores e proditoribus* (facti) *inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis?* al.

Andresen, Jahresber. 1877 p. 59 ann. 9 contendit post ex eo similesque dictiones praepositione ex conformatas verbum substantivum omissum esse a Tacito. Unum tantum locum (An. I 13, 15), quo verbum esse positum est post ex eo, sufficere putat ad locum alium (An. XVI 15, 3) quo verbum oriri positum est, in suspicionem vocandum, collatis iis locis, quibus post vocem causa verbum finitum omissum est: An. XI 4, 3; — I 7, 19; — Agr. 41, 2; — H. III 78, 3; — 82, 3; — An. IV 46, 4; — XIII 1, 10. — Non caute egit vir ille doctus. Loco enim An. I 13, 15: *Scaurus, quia dixerat, spem esse, ex eo non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset* dictio ex eo, referenda ad coniunctionem quod, significat idem quod ideo. Procul autem habenda sunt ea exempla, in quibus ex eo et vim vocis ideo habet et dictionis ex hoc tempore, quia his locis de omissione verbi movendi plane cogitari non potest. Non recte igitur ellipsis verbi movendi imputatur locis An. III 28, 8/11 *acriora ex eo vincla inditi custodes et ... praemiis inducti, ut* et q. seq. — IV 59, 10 *maior ex eo et .. cum fide audiebatur.* At verba ex eo, ubi originem indicant, fere ubique cum verbo oriundi a Tacito coniuncta sunt, si omnino verbum positum est. cf. An. II. 47, 15 s.: *delectus est M. Ateius e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oreretur;* XII 43, 4 *frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur;* — XVI 15, 3: *causa festinandi ex eo oriebatur, quod* et q. seq.; conferri possunt etiam An. XII 50, 7 *deinde atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes perpellunt Vologaesen omittere praesentia; (—* VI 30 (36), 19: *haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant* et q. seq.*)*.

Quae cum ita sint, dubitari nequit, qua ratione ex Taciti propria dicendi consuetudine explicanda sint, quae leguntur: Agr. 11, 2/3 *habitus corporum varii et ex eo argumenta* (cf. H. V 2, 5 *argumentum e nomine petitur)*; — H. II 2, 2/4: *fuerunt qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum* (cf. supra An. II 47, 16); — (An. I 7, 19 *causa praecipua ex formidine, ne)*; — VI 10 (16), 16: *sed praecipua ex eo gloria, quod;* — XI 4, 3 *at causa necis ex eo, quod.* — Tacitus ubi de hominum ortu vel genere agit, verbum substantivum semel posuit: XII 2, 2 *nam Antonia ex Paetina erat;* ceteris locis verborum nasci, gigni, similium formas usurpavit (cf. lex. Tac. p. 332). Praeterea semel verbum substantivum positum est: An. XI 16, 4 *paternum huic genus e Flavo fratre Arminii, mater ex Actumero principe Chattorum erat*, et omissum est: An. IV 3, 13/14 *atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat:* utroque loco ideo, quod dativus possessivus, quia possideri nequit nisi quod adest possessori, non notionem oriundi, sed existendi requirit (cf. etiam An. XIV 60, 14/15: *cui minor sapientia et ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt;* ex huius loci analogia explicari debent, quae leguntur An. II 20, 16; III 40, 7; IV 53, 5; VI 8 (14), 20, rel., (quibus locis verbum substantivum omissum est). At verbum oriundi supplendum est ex analogia locorum An. III 75, 11 s.; — IV 32, 12; — XI 38, 13 hisce locis: Agr. 5, 16 *nec minus periculum ex magna fama quam ex mala;* Germ 11, 8 *illud ex libertate vitium;* — H II 75, 4 *fluxam per discordias militum fidem (esse) et periculum ex singulis.* — 85, 8 *unde metus et ex metu consilium;* — III 66, 7 *ita periculum ex misericordia;* — An. I 35, 3/4 *cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant;* — 54, 5/6: *ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histrionum;* — IV 14, 7: *accedebat meritum ex loco* (?); — 60, 9/10: *seu loqueretur seu taceret iuvenis: crimen ex silentio, ex voce;* — 72, 11/12: *hinc ira et questus, et postquam non subveniebatur, remedium ex bello;* — XII 20, 6 (disserebatur contra ...) *taedium ex mora, pericula ex*

properantia (cf. XIV 60, 14); — XIV 24, 1 *ipse exercitusque ut nullis ex proelio damnis ita per inopiam et labores fatiscebant.* — Dubitare licet de iis locis, ubi de origine spei alicuius agitur collatis locis: H. III 52, 6 *certiora ex Muciano sperabantur;* — IV 23, 23: *simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur;* An. XIII 15, 9; 53, 2; — H. III 26, 12; — IV 13, 6; An. I 5, 6, rell. Sed sine dubio omissio nec verbi esse nec oriri extat, ubi quasi fons metus alicuius praepositione ex adhibita describitur: Agr. 16, 9; (H. II 67, 1); — IV 39, 10; An. I 29, 12; — II 72, 5; (— III 65, 4). Andresen igitur falso huius omissionis verbi esse exemplum esse voluit H. I 64, 5 *in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus.*

per: H. IV 46, 16/17: *ut vero huc illuc distrahi coepere metus per omnes et praecipua Germanici militis formido, tanquam ea separatione ad caedem destinaretur.* Heraeus in locum praedicati supplet incessit. Collato loco H. I 62, 14/17: *aquila leni meatu ... velut dux viae praevolavit, longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut* adducimur ad formas verbi substantivi supplendas hisce locis huc pertinentibus cf. H. I 18, 12/14: *tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium.* — II 42, 9/10: *Othoniani ... proelium tamen acriter sumpsere; et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies;* — 60, 2 *unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus;* — III 25, 20 *hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio;* — An. XII 39, 5; — XIV 60, 14 (cf. Hensell, *de praepositionis per usu Tac.* 1876 p. 21).

His locis cum praepositione per non motus, sed quies intra locum aliquem significetur, non verba movendi, sed quasi quiescendi adesse vel esse subintellegenda sunt (cf. infra § 2). Sed aliter fortasse de loco supra memorato H. IV 46, 16 iudicari debet, ut quo non tam status ipse, quam initium novi status ita depingatur, ut verbum motum indicans supplere haud alienum videatur.

Hensell cum l. l. p. 11, collatis H. II 20, 2 *modesto agmine per Italiam incessit,* — 90, 4 ... *Italia, per quam somno et luxu*

pudendus incesserat, postquam recte locis An. III 31, 19 *plurima per Italiam itinera* H. III 78, 20; — IV 24, 4 praepositionem per pendere docuit ex vi movendi notioni iter insita, locum An. III 9, 1 s. *Piso Delmatico mari tramisso ... per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem* ita interpretatus sit, ut suppleatur notio eundi, non satis accurate significationem verbi adsequi propriam: sequi aliquem, ut ad eum perveniatur circumspexit.

in c. acc. duobus quod sciam locis omissionem verbi movendi effecit: An. VI 50, 21 *pavor hinc in omnes* sc. evasit (cf. Otto). — An. IV 57, 1: *inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa ..., sed certus procul urbe degere. caussam abscessus* et q. seq. Etsi multi omissionem verbi proficiscendi hoc loco fieri posse negarunt (cf. Ritter. ed. 1848 et 1864; Halm, J. Jahrb. 55 p. 406, rell.) tamen Nipperdei explicatio probari debet (cf. Urlichs, J. Jahrb. 1854 p. 155), non ex ratione vividioris Pfitzneri (*Annalen des Tac. Bch. 1—6* p. 167 *das allbekannte und wunderbar ergreifende: tandem in Campaniam!*), sed ex eo, quod re vera dictione praepositionali verbum movendi satis indicatur. Haud aliter res est loco An. XIV 8, 12/14: *cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem* coll. H. III 2, 9 *nec procul Germaniam, unde vires,* — ib. 14/15 *unde interim pecuniam et commeatus?* Praeterea praepositione **a** verbum supplendum indicatur An. XIV 27, 1/2 *Laodicea tremore terrae prolapsa, nullo a* (om. M, add. G.) *nobis remedio* (sc. misso), *propriis opibus revaluit;* — An. I 39, 1/2: *interim legati ab senatu* (missi) *regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt;* — H. II 61, 2 s: *Mariccus quidam .. provocare arma Romana .. ausus est. iamque ... proximos Haeduorum pagos trahebat, cum gravissima civitas electa iuventute adiectis a Vitellio* (missis) *cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit;* An. XIII 19, 15 *per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto;* — XI 31, 13/15 *ferunt Vettium Valentem lascivia in praealtam arborem conisum, interrogantibus quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem;* sim.

5. casu obliquo, quem sequitur oratio obliqua, indicatur omissio verbi dicendi hoc uno quem enotavi loco: H. III 38, 14 s. *causam confusionis quaerenti, non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre ... preces lacrimasque attulisse.*

§ 2.

Verbum finitum omittitur in enuntiatis brevibus propter orationis vigorem gravitatemque.

Tacitus in vivida oratione enuntiata brevissima omisso verbo praedicativo haud raro conformavit nomine subiecti aut solo posito aut cum notione attributiva vel modali coniuncta. Verbum praedicativum sensu communi desideratum sponte quasi occurit aut ex ipsa nominis subiecti significatione, qua verbi omissi natura circumscribitur (cf. H. I 40, 3 *neque populi aut plebis ulla vox:* patet supplendum esse audiebatur), aut ex notione modali (ut adverbiis loci, al.) aut ex toto orationis habitu. Utrum hoc an illud verbum rectius suppleatur, ut sensus absolute perficiatur, saepe vix dici potest, quia orator, cum ita breviter scriberet, ipse plerumque non tam ad unum certum verbum, quam ad unius generis verba spectasse videtur. Saepe dubitare licet, utrum in enuntiatis ab adverbiis unde, inde, hinc incipientibus verbum esse significatione verbi existendi praeditum an aliud eiusdem generis verbum supplendum sit. (cf. etiam Andresen, Jahresber. 1877 p. 59 a. 9 et ib. p. 73 a. 1.)

1. In enuntiatis brevibus, quae constant aut ex nomine subiecto et notione ei adiuncta attributive vel modaliter, aut ex solis nominibus subiecti,

a) formae verbi **fieri** (geschehen, stattfinden, geben) suppleri possunt:

H. II 6, 9/10: *nulla seditio legionum, tantum adversus Parthos minae, vario eventu;* — H. I. 65, 12: *nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces;* — II 21, 17/18: *utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes;* — V 16, 5: *exhortatio ducum*

non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur; — An. I 25, 6: *murmur incertum, atrox clamor et repente quies;* — H. III 24, 14: *undique clamor, et orientem solem tertiani salutavere;* — An. XI 35, 9; — III 46, 10; — Agr. 17, 5: *multa proelia et aliquando non incruenta;* — cf. H. III 82, 12; — H. II 15, 5 „*atrox ibi caedes, et Tungrarum cohortium praefecti .. obruuntur*"; — cf. II 88, 1; 4; — IV 20, 14: *ibi plurimum cladis;* — An. I 10, 17 *pacem sine dubio post haec, verum cruentam; Lollianas Varianasque clades;* ex analogia huius exempli explicandus est locus — XV 55, 13 seq.: *enimvero liberales semper epulas struxisse; vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam; fomenta vulneribus nulla iusso suo;* — I 5, 5: *multas utrimque lacrimas et signa caritatis;* — H. IV 72, 14: *nulla inter coeuntes exercitus consalutatio;* — II 19, 6: *iamque totis castris modesti sermones;* — V 13, 6: *simul ingens motus excedentium.* — Enotari debent propter eximiam brevitatem: An. IV 70, 7: *quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga vastitas, deseri itinera fora;* — XI 27, 6: *discubitum inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentia coniugali;* — XIII 44, 14: *tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia preces, exprobratio satisfactio;* — XV 37, 12: *iam gestus motusque obsceni.* Haec sufficiant!

b) formae verbi **esse adesse** (vorhandensein, herrschen sim.) desiderantur:

Agr. 38, 9/10: *vastum ubique silentium, deserti colles, fumantia procul tecta;* — H. I 20, 10/11: *ubique hasta et sector ... ac tamen grande gaudium, quod;* — II 6, 10/11: *et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax, dein fides erga Galbam;* — ib. 15/16: *septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Suria Iudaeaque;* — III 54, 5: *mirum apud ipsum de bello silentium;* — 83, 13: *nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas* et q. seq.; — An. I 70, 22: *nec fides salutis, antequam* et q. seq.; — III 28, 4: *exim continua per viginti annos discordia, non mos, non ius;* — Enotandi sunt loci: H. II 3, 9: *hostiae, ut quisque vovit, sed mares deliguntur;* — 29, 13/15: *ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium miseratio favor;* rell.

c) aliorum verborum formae intellegi possunt:

aspici: Agr. 33, 2/3: *iamque agmina et armorum fulgores;* — 37, 13: *passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus;* — H. III 83, 6 seq.: *salva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et volnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes;* An. I 7, 15: *sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae, arma, cetera aulae.*

audiri: H. I 40, 3: *neque populi aut plebis ulla vox;* — 85, 20: *ubi plurimae voces;* — An. VI 35, 1: *Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis.*

exerceri: H. I 65, 5/6: *multus contra in Viennenses honor;* — An. II 2, 15: *sed prompti aditus obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia;* — XII 43, 5: *nec occulti tantum questus.*

Audacius conformati sunt hi loci: H. II 46, 14: *quas inter voces ut flexerat voltum aut induraverat Otho, clamor et gemitus;* — 84, 5: *passim delationes;* — An. II 82, 11: *passim silentia et gemitus;* — XII 7, 12: *palam severitas ac saepius superbia.*

Quod verbum supplendum sit dici non potest his locis: H. I 40, 3/4: *sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures, non tumultus, non quies;* — 82, 4/5: *undique arma et minae;* — IV 1, 13: *ubique lamenta, conclamationes et fortuna captae urbis;* — An. I 31, 20: *multa seditionis ora vocesque;* rell.

2. de enuntiatiis ab h i n c, i n d e, u n d e incipientibus (cf. Wölfflin, Phil. 26, p. 109; J. Müller, Beitr. IV, p. 42 A. 2; Andresen l. l. p. 59 A. 9.).

hinc: Ann. XII 39, 4/5: *crebra hinc proelia;* — VI 35 (41), 3: *variae hinc bellantium species;* — H. IV 35, 20: *duplex hinc seditio;* — 6, 12: *hinc inter Helvidium et Ebrium acre iurgium;* — An. IV 72, 11: *hinc ira et questus;* — H. III 25, 20: *hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio;* — 68, 19: *maior hinc clamor obsistentium penatibus privatis, in Palatium vocantium;* — IV 34, 17: *hinc in ducem clamor pugnam poscentium;* — An. I 9, 1: *multus hinc ipso de Augusto sermo;* — H. IV 31, 4: *diversi hinc motus animorum;* —

II 53, 12: *hinc admiratio et plura interrogandi pudor;* — An. VI 17 (23), 1: *hinc inopia rei nummariae, commoto simul omnium aere alieno* et q. seq.

inde: H. IV 33, 9/10: *caedes inde, non proelium;* — An. XIV 60, 13/14: *inde crebri questus nec occulti per vulgum;* — IV 54, 11: *inde rumor parari exitium;* — Agr. 21, 9: *inde etiam habitus nostri honor et frequens toga;* — H. II 8, 15: *inde late terror;* — An. III 55, 16: *obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus;* — I 41, 7: *pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria;* — 22, 1: *flagrantior inde vis;* — H. III 27, 8/9: *paullum inde morae;* — 45, 7: *inde opes et rerum secundarum luxus;* An. XI 24, 28: *continua inde ac fida pax;* rell.

unde: H. I 53, 14/15: *unde seditiosa colloquia et ... in Verginium favor cuicumque alii profuturus;* — An. VI 30 (36), 11: *unde fama constans, ausum mittere* et q. seq.; — XIII 9, 14: *unde discordia inter duces;* — H. I 65, 6: *unde aemulatio et invidia et uno amne discretis conexum odium;* — II 60, 2: *unde praecipua in Vitellium alienatio;* — An. XVI 18, 12: *unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem;* — II 68, 10: *unde maior fides;* — H. IV 19, 20: *unde suspicio, sponte legatorum excitari bellum;* — II 85, 8: *unde metus (et ex metu consilium);* — An. XI 8, 7: *unde metus in ceteros;* — H. III 17, 3: *unde aliqua spes;* — An. I 33, 8: *unde in Germanicum favor et spes eadem;* al.

Non adscripsi ea exempla, in quibus dativus possessivus indicat post h i n c i n d e u n d e non verbum aliquod oriundi, sed solum verbum substantivum esse supplendum (cf. An. I 60, 3; — 63, 9; — VI 47, 5; — 7, 10/11; — XIV 22, 10; — V 4, 14; — H. IV 34, 13 rell.); haec enim seposui commentationi propediem de verbi substantivi usu edendae. Praeterea haud pauca exempla tractata iam sunt in § 1, 4.

3. Propter magnum orationis vigorem solum omissio verbi finiti excusari solet duobus his locis: An. XIV 7, 3 seq. *tum pavore exanimis et iam iamque adfore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et inter-*

fectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca; quos statim acciverat, incertum, experiens an et ante gnaros, et — I 35, 8 s. *atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant.* — Agitur loco XIV 7, 5 seq. de omissione et verbi dicendi, ex quo pendent verba *quod contra subsidium sibi?* et verbi agendi vel cogitandi, quo regitur enuntiatum *nisi quid Burrus et Seneca.* — Ut ait sive inquit facile omittitur in colloquiis, ubi ipsa loquentium verba oratione recta inferuntur, praesertim si formulae antecedunt ut et ille, at ille, tum ille — loco nominativi ille persaepe ipsum loquentis nomen positum est (cf. dial. 4, 1; 15, 1; 25, 1; 28, 1; simil. ib. 33, 13; 42, 1) — ita Tacitus nostro loco qua fuit scribendi licentia notionem dicendi omisit, ut verba Neronis oratione indirecta induceret; quod eo magis suo iure facere potuit, quam particula tum satis significaverat in sequentibus extare ea, quae Nero nuntio illo de Agrippinae nece allato respondisset vel exclamasset. Subiectum autem, quod extat in formulis illis at ille, tum ille, simil., non expresse apposuit Tacitus, quia et dativo antecedente Neroni et nominativis exanimis et obtestans appositive usurpatis satis indicatum erat; qua re etiam id explicatur, quod audaciore verborum collocatione usus enuntiato *sive-obiciendo* interposito verba loquentis personae non ipsi subiecti nomini, quod in enuntiatis in similem modum elliptice conformatis fieri solet (cf. dial. 4, 1; 15, 1; 25, 1; 28, 1), adiunxit. Quae cum ita sint, omissio verbi dicendi eo magis erit excusanda quam Tacitus nostro loco usus est et summo orationis vigore et forma interrogationis rhetoricae, qua sola tale quid fieri potuisse indicatur (cf. infra § 3). — Sed alia res est de verbis quae sequuntur recte explicandis. Nipperdey cum contenderet facile ad verba *nisi quid Burrus et Seneca* verbum finitum (excogitarent, invenirent) posse suppleri ex sermonis contextu et ex analogia locorum, ut XIV 7, 11: *post Seneca hactenus promptius* sc. egit et ib. 8, 13: *quod nemo a filio* sc. veniret plane neglexit haec exempla alius

esse generis dicendi; nam et adverbium (promptius) et dictio praepositionalis (a filio) satis genus verbi omissi indicant; at nostro loco oratio tam abrupta est, ut unusquisque in omissione verbi haesitare debeat; accedit, quod codicis verba mendi manifesta sunt; legitur enim *seneca expgens. Quos statim acciverat incertum et ante ignaros.* Emendationes superiorum editorum congesserunt Walther, dein Baiter-Orelli; ipsi scripserunt *nisi quid Burrus et Seneca expedirent* amico Pichenae auctore; item Draeger. Nipperdey iure offendit in verbis *incertum an et ante ignaros* scripsitque adhibito illo codicis compendio expgens: *nisi-Seneca; quos statim acciverat incertum, an aperiens, et ante ignaros.* Melius Ed. Wölfflin, Philol. 26, 103: *nisi-Seneca; quos statim acciverat, incertum, experiens an et ante gnaros.* Attamen eo minus credere possum Tacitum tam male concisa oratione usum esse, quod in verbis proxime antecedentibus iam admisit omissionem verbi finiti; itaque locus noster gravius corruptus mihi videtur. — De loco An. I 35, 8, quem supra ex verbis codicis adscripsimus, magna est virorum doctorum dissensio. Defensorum ex numero Walther eum intellegi voluit, quasi Tacitus scripsisset *neu mortem in isdem laboribus* (accidere), *sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem* (esse) *orabant;* Bach supplevit pararet ad accusativum mortem; Ritter (1848) insolitum zeugma (?) a Tacito adhibitum esse putavit, ut atrox et inconditus veteranorum clamor luculentius describeretur; quo zeugmate abiecto Orelli-Baiter singularem deprehenderunt brachylogiam nostro loco, qua, ut concitati militum affectus exprimerentur, verba illa posita essent pro *neu mortem oppetere sineret, sed faceret, ut finem tam laboriosae militiae neque inopem et sine praemiis requiem nanciscerentur;* Pfitzner denique l. l. p. 148 vividiore scilicet animo, postquam negavit accusativos mortem (?), finem requiem pendere ex verbo orabant, rem his verbis sibi expedivisse visus est: *(orabant führt ohne weiteren Einfluss auf die Konstruktion auch nur äusserlich die direkten Ausrufungen der veterani in obliquer Weise ein). Sie schreien nicht nach eingelernter Schablone alle dasselbe, sondern durcheinander, einander ergänzend; der eine „mederetur fessis!“ Daran knüpfen*

andere weiter ausführend: „neu mortem in isdem laboribus! („und ja nicht den Tod in denselben Mühseligkeiten!"), noch andere: „finem tam exercitae militiae!" wieder andere: „neque (= „und nie und nimmer mehr" [?]) inopem requiem"! Natürlich hat der Darsteller solches Durcheinander in eine logische Ordnung zu bringen, und mit welcher Kunst Tacitus dies verstanden" et q. s.

Suo iure iam Heinsius locum nostrum mutilatum, Ernesti vitiosum vocaverunt. Ernesti censuit aut legendum neu morerentur aut addendum obirent aut neu mutandum in neque. Nipperdey obirent suppleri in textu iubet secutus Ernestium, quia talis omissio iustum modum excedat. Recte, ut mihi videtur; nam ut ambiguum est, quid sit supplendum, ita neque pararet neque sineret bonum praebet sensum. Intellegere autem se invenire sineret non licet, quia durius mutatur subiecti nominis persona in oratione elliptice conformata, quam ut ferri possit. Pfitzneri interpretationi obstat, quod, cum accusativi finem requiem sine dubio pendeant ex verbo orabant, ea quae antecedunt ad ipsas veteranorum exclamationes referri non possunt. Utrum autem cum Ernestio verbum obirent in textum recipiendum an cum Rittero (1864) lacuna post vocem laboribus indicanda sit, vix diiudicari potest.

§ 3.

Quaeritur qua ratione Tacitus orationem obliquam pendentem fecerit ex notione regenti.

Parum a viris doctis in eam quaestionem inquiri solet, qua ratione scriptores Romani notionem, ex qua penderet oratio obliqua, ponere debuerint vel omittere potuerint. Nuperrime Kühner nonnulla proposuit vol. II 2 p. 1025 seq., sed ea non sufficiunt; hac enim de re tum demum certum iudicium fieri poterit, cum singulorum auctorum usus accuratissime depictus erit. De Taciti propria consuetudine fere nihil scriptum est, nisi quod Nipperdey observavit ad An. I 9, verbum regens omitti posse aut si ea, quae sequerentur, satis indicarent agi de oratione personae antea iam memoratae, aut

si ea, quae quis cogitasset vel locutus esset in re aliqua gerenda, oratione obliqua ipsi rei actae descriptioni adiungerentur; Tacitum autem eo contendisse, ne oratio obliqua nisi personae antea memoratae hac ratione induceretur (cf. ad An. XII 64, ed. III p. 97, 8). — Accuratius autem nunc in singulas huius breviloquentiae formas inquisituri lubenter fatemur etiam nos non totam hanc amplam materiem comprehendisse, sed singula tantum, quae ut in sequentibus explicem maxime adducor, cum idonea mihi videantur, quae et singularem Taciteae scribendi rationis proprietatem satis adumbrent et quasi viam monstrent, qua quis funditus eam rem hausturus optime procedere poterit.

I. De oratione obliqua verbis adiuncta.

Oratio obliqua sequitur enuntiatum primarium verbis sententiisque absolutum; vim habet epexegeticam, i. e. spectat eo, ut aut ea quae antea narrata sunt accuratius explicentur aut causae cogitationesque, quibus commotus quis res modo descriptas perfecerit, planius perspiciantur.

A. In praedicato enuntiati primarii est verbum dicendi vel sentiendi, ex quo ipso, cum absolute positum propriam enuntiati sui sententiam reddat plenam, oratio quae sequitur obliqua non pendet; secundum rationem grammaticam aut ipsum illud verbum cogitatione repetendum aut novum verbum supplendum est, unde oratio obliqua proprie regatur.

H. I 86, 1 seq.: *prodigia insuper terrebant diversis auctoribus volgata: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae* et q. s.; — III 13, 9 seq.: *sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles ... proiectas Vitellii effigies adspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt: huc cecidisse ... gloriam, ut* et q. s.; — II 28, 5 seq.: *quod ubi auditum volgatumque, maerere socii, fremere milites; orbari se fortissimorum virorum auxilio; veteres illos* et q. s.; — An. I 8, 24 seq.:

die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus, qui et q. seq.: *nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum;* — 38, 6 seq.: *praesidium ab audacia mutuatur; non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari;* — item H. V 2, 5 seq.: *argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta Idam montem, accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari;* — An. II 13, 11 seq.: *incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges* et q. s; — 70, 1 seq.: *Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta: si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum?* — III 10, 2 seq.: *contra Vitellius ac Veranius ... tendebant; nullas esse partes Trioni neque se accusatores* et q. s. (tendere enim refertur quidem ad verbis tendere, sed non tam accusativum cum infinitivo, quam enuntiatum ab ut incipiens postulat); — 37, 6 seq.: *neque luxus in iuvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret* et q. s.; — 59, 6 seq.: *recitatae et Drusi epistulae ... pro superbissimis accipiuntur; huc decidisse cuncta* et q. s.; — XI 7, 1 seq.: *et postquam adnuit, agere incipiunt: quem illum tanta superbia esse, ut aeternitatem famae spe praesumat?* — Insolentius verbum, quod inter verba sentiendi dicendive haberi non potest, ita ut ex eo ipso oratio obliqua pendere non possit, sequitur tamen oratio obliqua, quia forma interrogationis rhetoricae satis indicatur exstare cogitationes vel verba eorum, de quibus agitur. An. I 41, 2 seq.: *gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere: progrediuntur contuberniis: quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti: pergere ad Treveros (et) externae fidei.* — Expresse commemorandum est, orationem obliquam ab coniunctivo prohibitivo incipientem similiter antecedentibus adiunctam esse: An. III 18, 1: *multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur* et q. s. — In ipsa oratione obliqua alia oratio

obliqua coniunctivo adhortativo conformata invenitur: H. I 41, 10 *plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur.*

Notandus est locus An. IV 55, 13/14: cod. *Pergamenos eo ipso nitebantur aedē Augusto ibi sitam satis adeptos creditum.*" Priorum editorum explicatio, qua verba nostra dicta esse voluerunt pro *Pergamenos (eo ipso nitebantur) aedem .. sitam* (sc. adeptos) *satis adeptos esse creditum*, artificiosior est, quam ut in eam accuratius inquiramus. Lipsius, quem secuti sunt Halm, Nipperdey, Orelli, Draeger, scripsit *Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede — sita satis adeptos creditum;* sensus quadrat; sed parenthesis violentius orationis cursum interrumpit neque facile intellegitur, qua ratione corruptela *aedē-sitam* orta sit. Vera mihi videtur Ritteri emendatio *Pergamenos eo quo ipso nitebantur, aedem-sitam, satis adeptos creditum;* similiter Haase scripsit *Pergamenos quo ipso nitebantur* et q. s.: Pergamenii enim ut novum templum in suis finibus statueretur postulare posse arbitrati sunt, quia aedem Augusto sacram iam possiderent. Verba igitur aedem-sitam epexegetice addita sunt ad enuntiatum eo, quo nitebantur; accusativus et infinitivus aedem-sitam sc. esse pendet ex verbo dicendi, quod latet in notione nitebantur.

B. Ex verbo praedicativo enuntiati primarii non absolute posito pendet enuntiatum secundarium; dein sequitur epexegetice oratio obliqua ab accusativo c. inf. incipiens, quae omnino non pendet ex verbo enuntiati primarii, sed ex verbo supplendo, quo indicetur agi de cogitationibus personae agentis.

Praemittenda sunt haec:

Oratio obliqua particula causali (nam, enim, quippe) adnectitur antecedentibus; cotidianum est; itaque pauca adscribam exempla ex annalibus sumpta:

nam: An. I 48, 7 *se ipsos morti eximant hortatur; nam in pace causas et merita spectari;* — II 63, 3 seq.: *scripsit Tiberio non ut profugus .., sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus Roma-*

nam amicitiam praetulisse; — 73, 2 seq.: *et erant qui formam aetatem genus mortis ... magni Alexandri fatis adaequarent; nam utrumque ... externas inter gentes occidisse;* — III 34, 26: *addidit pauca Drusus de matrimonio suo; nam principibus adeunda saepius longinqua imperii;* — IV 16, 3; — 55, 17. — XIV 20, 4 seq.

enim: An. I 69, 8 seq.: *id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas* et q. s.; — II 28, 4: *Caesar ... congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare;* — 55, 1 seq. *At Cn. Piso ... civitatem Atheniensium .. oratione saeva increpat ....: hos enim esse* et q. s.; - III 70, 6; XIII 4, 7; XV 1, 19; XVI 2, 8.

quippe: An. III 5, 1 seq.: *fuere qui publici funeris pompam requirerent compararentque quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset: ipsum quippe ... urbem intravisse* et q. s.; — 17, 1 seq.: *post quae Tiberius adulescentem crimine civilis belli purgavit, patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare, simul nobilitatem domus, etiam ipsius ... gravem casum miseratus;* — IV 38, 15 seq.: *quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur: optumos quippe mortalium altissima cupere;* — VI 28 (34), 15 seq.: *unde nonnulli falsum hunc phoenicem ... credidere nihilque usurpavisse ex iis, quae vetus memoria firmavit: confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum* et q. s.; — XI 25, 18; — 26, 4; — XII 41, 17; — XV 29, 3; — XVI 7, 11. — Animadverte, Tacitum in prioribus annalium libris saepius adhibuisse particulas n a m e n i m ad orationem obliquam antecedentibus adiungendam, in posterioribus saepius q u i p p e.

Accedit ad particulam causalem e n i m forma interrogationis rhetoricae, qua sola iam orationis obliquae cum antecedentibus coniunctio expeditur, hisce locis: An. IV 70, 8 seq.: *ostentabantque* (quidam) *se rursum id ipsum paventes, quod timuissent: quem enim diem vacuum poena?* et q. s.; — XIII 43, 15 seq.: *tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim neminem alium delectum, qui .. vocem praeberet?* - 49, 1 seq.: *non referrem vulgarissimum senatus consultum .... nisi Paetus Thrasea contra dixisset praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae*

sententiae: cur enim .. tam levia consectaretur?; — XIV 1, 1 seq.: *.. diu meditatum scelus non ultra Nero distulit ... flagrantior in dies amore Poppaeae, quae ... per facetias incusaret principem et pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius .. libertatis . indigeret: cur enim differri nuptias suas?;* — XV 6, 2 seq.: *alii occulte pepigisse interpretabantur, ut .. Tigranes quoque Armenia abscederet: cur enim exercitum Romanum a Triganocertis deductum?;* (cf. XVI 27, 8 *etenim quid mirum* et q. s.).

Particulis copulativis sensu epexegetico positis (und zwar) oratio obliqua antecedentibus adnectitur (cf. Spitta, *de Taciti in componendis enuntiatis ratione,* 1866 p. 6); suppletur verbum dicendi:

1. hac ratione aliquid novi epexegetice additur:

et: H. III 1, 6 seq.: *quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora* et q. s. (cf. An. XII 11, 8 s.); — An. III 40, 10 seq.: .. *disserebant de continuatione tributorum, gravitate faenoris, saevitia ac superbia praesidentium; et discordare militem audito Germanici exitio; egregium resumendae libertati tempus* (esse); — IV 7, 5 seq.: *ultor metuebatur non occultus odii, sed crebro querens incolumi filio adiutorem imperii alium vocari; et quantum superesse ut collega dicatur?*

Locus dubius est hic: H. III 13, 4 seq.: *ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem, in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum: atque omnia de Vitellio in deterius.* Caecina a Vitellii partibus ad Vespasianum transiturus laudat vires novi principis; itaque Caecinae in enuntiato *transfugisse-fidum* ipsae Vespasiani vires erant describendae; sed secundum codicis scripturam non tam hae Vespasiani vires, quam Vetelliana quasi infirmitas depingitur; novi igitur aliquid verbis *transfugisse-fidum* antecedentibus additur. Quae cum ita sint, inseras collato loco H. III 1, 6 seq.: *quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora* et q. s. particulam et: ... *extollit, et transfugisse* et q. s. — Aliter res se habet An. I 34, 15:

Galliarum fidem extollit: nil usquam turbidum aut discors et q. s., ubi verbis *nil-discors* ipsum quod antecedit enuntiatum explicatur.

ac: An. II 45, 13: *contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum: ac mox per dona et legationes petivisse foedus* et q. s. (cf. etiam Nipp. ad h. l.); — XII 11, 8: *hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae: ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes* (cf. III 47, 5; H. III 1, 7); — XIV 8, 16: *abeunte dehinc ancilla „tu quoque me deseris“ prolocuta respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito centurione classiario comitatum: ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere.*

que: Plene conformatus est locus An. V 4, 3 seq.: *is fatali quodam motu ... inserere se dubitantibus ac monere consules ne relationem inciperent; disserebatque brevibus momentis summa verti;* elliptice hi loci: An. I 28, 2 seq.: *id miles rationis ignarus omen praesentium accepit suis laboribus defectionem sideris adsimulans: prosperequе cessura qua pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur;* II 78, 1 seq.: *haud magna mole Piso .. in sententiam trahitur missisque ad Tiberium epistulis incusat Germanicum luxus et superbiae: seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse;* — 87, 1 seq.: *saevitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium, quod emptor penderet: binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios;* — IV 56, 1 seq.: *at Zmyrnaei repetita vetustate ... transcendere ad ea quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur: seque primos templum urbis Romae statuisse* et q. s.; — VI 25 (31), 5 seq.: *enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum: eiusque morte ad taedium vitae compulsam.*

Locus dubius est hic: An. XIV 6, 1 seq.: *Illic reputans ideo se fallacibus literis accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset, observans etiam*

Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegeretur; misitque libertum Agerinum et q. s. Offendendum est in eo, quod in priore periodi nostrae parte verbum abest, quod desiderant et participia reputans observans aspiciens et oratio obliqua solum-intellegeretur et id, quod altera totius periodi pars particula que (misitque) adnectitur. Rhenanus iam delevit que et verba *solum-intellegeretur* suspensa esse voluit ex participio reputans; sed obstant interposita participia observans aspiciens, ut recte iam monuit Walther; quae si parenthetice posita esse intellegeres, constructionem duriorem faceres. E contrario concedendum est retenta lectione misitque omissionem verbi finiti ad antecedentia pertinentis propter participia illa coniuncta omnino ferri non posse, neque quidquam profecit Nipperdey, cum doceret verbum finitum esse omissum ob summum orationis vigorem et quia de Agrippinae cogitationibus, ut ita dicam, agi manifestum esset. Orationis tam abruptae nullum invenitur exemplum apud Tacitum (de exemplis quae in auxilium vocavit Nipperdey XIV 7, 3; — 8, 18 cf. p. 63 s. et 72); nam vigor ille, quo tale quid fortasse excusari poterit, plane abest, cum Agrippina considerate cogitateque reputavisset, quae sibi essent facienda. Itaque nec deleta particula que nec cogitatione suppletum verbum cogitandi difficultatem tollit. — Alii verbum quoddam in textum recipiendum esse voluerunt: Bezzenberger, quem secuti sunt Orelli-Baiter, Halm, verbis esse si interposuit sensit, Ritter (1864) addidit vidit ante misitque; neutrum mihi placet vel aeque mihi placet ac lenissima emendatio, quae in mentem mihi venit, qua transponas velim illud que *(misitque)* post solum. Collatis locis ut H. III 1, 7; — 66, 4/5 *discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris* nemo in forma orationis offendet; praeterea ex verbo *aspicere* notio considerandi sumi posse demonstratur locis H. IV 8, 8—9: *et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans* et An. XIV 33, 4/5: *circumspecta infrequentia militis satisque magnis documentis temeritatem Petilii coërcitam* (cf. Nipp. ad h. l.). Legas igitur: *Illic reputans ... observans ..., simul suum vulnus aspiciens so-*

lumque insidiarum remedium esse, si non intellegerentur, misit libertum et q. s.

neque: H. III 66, 3 seq.: *ceterum ... pacem et condiciones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur:* — An. I 39, 22 seq.: *tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati aperit:* — II 10, 1 seq.: *exim diversi orditur, hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam: neque coniugem et filium eius hostiliter haberi:* — 43, 1 seq.: *igitur haec et de Armenia quae supra memoravi apud patres disseruit: nec posse motum orientem nisi Germanici sapientia componi:* — V 9 (VI 4), 3 seq.: *igitur portantur in carcerem, filius imminentium intellegens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, quod ob delictum et quo traheretur; neque facturam ultra et posse se puerili verbere moneri;* — VI 43 (49), 9 seq.: *ac primo tamquam dolus pararetur territus, ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevatur animum* seq.. *Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat: neque penes Arsacidas imperium* et q. s.: — XV 13, 5 seq.: ... *munimenta propugnabant, pars iussu ducis, et alii propria ignavia aut Corbulonem opperientes, ac vis si* (add. Walther) *ingrueret, provisis exemplis cladis* (add. Bezzenberger) *Caudinae Numantinaeque; neque eandem vim Samnitibus Italico populo ac Parthis, Romani imperii aemulis:* — 67, 1 seq.: *mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum.* — Insolentius pronomine relativo, quod positum est loco particulae copulativae cum pronomine demonstrativo coniunctae, oratio obliqua antecedentibus adiungitur hoc uno loco An. VI 22 (28), 10 seq.: *ac tamen electionem vitae nobis relinquunt: quam ubi elegeris certum imminentium ordinem neque mala vel bona quae vulgus putet* et q. s.

2. verba antea dicta explicantur:

que: An. IV 43, 6 seq.: *contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere: suoque regi Denthaliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse:* — XV 54, 19 seq.:

quippe ultro metum intentabat: multosque adstitisse libertos ac servos, qui eadem viderint et q. s.

neque: An. I 30, 7 seq.: *durabat et formido caelestis irae: nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates;* — 49, 12 seq.: *truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris: nec aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent;* — III 47, 3 seq.: *simul caussas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit magnitudinem imperii extollens: neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet* † † † (Ritter in lacuna fuisse suspicatur: *meare longinquas in provincias).* (cf. XII 11, 9; H. III 1, 7.)

neque enim: H. IV 14, 9 seq.: *Civilis ... a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat: neque enim societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi;* — An. III 22, 14 seq.: *exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae; quod alii civile rebantur, ... quidam ad saevitiam trahebant: neque enim cessurum nisi damnandi officio;* — ib. 64, 11 seq.: *contra dixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse;* — XV 27, 2 seq.: *et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non inmitibus: nec enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset.*

Nunc redeamus ad ea quae p. 69 sub B proposuimus, i. e. agamus de oratione obliqua, quae sequitur enuntiatum secundarium ex verbo enuntiati primarii pendens, quo quasi in cogitationes personae agentis ita inducimur, ut nec particula causali nec copulativa opus sit ad orationem obliquam antecedentibus adiungendam.

a) oratio obliqua sequitur enuntiatum secundarium coniunctivo adhortativo conformatum, qui pendet ex ipso verbo regenti:

H. II 46, 3 seq.: *non expectavit militum ardor vocem imperatoris; bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires et ipsos extrema passuros ausurosque;* — III 64, 1 seq.: *at primores civitatis Flavium Sabinum praefectum urbis secretis*

sermonibus incitabant, victoriae famaeque partem capesseret: esse illi proprium militem cohortium urbanarum; — An. II 21, 11: *orabatque (Germanicus) insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internicionem gentis finem bello fore;* — 26, 6 seq.: *sed crebris epistulis Tiberius monebat rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum* et q. s.; — 65, 4 seq.: *Rhescuporis-postulat eundem in locum coiretur: posse de controversiis conloquio transigi;* — XI 25, 11 seq.: *famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem ... rationem adhibuit, monendo secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis: facilem eius rei veniam.* — XII 25, 3 seq.: (Pallas) *stimulabat Claudium consuleret rei publicae, Britannici pueritiam robore circumdaret: sic apud divum Augustum .. viguisse privignos.*

Locus dubius est An. XIV 58, 10—14: *ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem et mandata L. Antistii soceri attulit: effugeret segnem mortem ot ///] suffugium, et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces: nullum interim subsidium aspernandum.* Sic codex; mendi manifestum est illud ot :'|]; Muretus scripsit hostium, Freinshemius *mortem: otium suffugiis et .. miseratione reperturum;* Heinsius *odii suffugium;* Broterius cum Petavio *otiosum suffugium;* Bipontina ed. *ocius suffugium esse magni nominis miseratione reperturum;* Oberlin *mortem, otium: suffugium;* Walther *otiantium* vel *oscitantium suffugium et magni nominis miserationem* (sc. effugeret): *reperturum* et q. s.; Doederlein: *effugeret-mortem; otium, suffugium mitteret; magni* et q. s.; Ritter (1848) .. *mortem: tutum suffugium, et .. reperturum;* Jacob *odium, suffugium;* Seyffert: *otium, suffugium magni nominis .. reperturum apud bonos;* Orelli-Baiter (Nipperdey) *obvium suffugium;* Haase *inertium suffugium;* Wurm *in otio nullum suffugium;* Halm olim *promtum suffugium,* nunc *sontium suffugium,* quod laudat Ed. Wölfflin, Burs. Jahresb. 1875 II p. 783.

Vides quot viri tot sententias! Nuperrime Madvig, adv. crit. II p. 555 locum nostrum tractavit et, quia contrarius segni morti motus commendaretur, scripsit *mortem: in motu suffugium* et q. s. Halm, J. Jahrb. 109 p. 413 Madvigii lectione

abiecta suspicatur, quod iam commemoravimus *sontium suffugium: ex m. n. miseratione* et q. s., recte autem iam Andresen, Jahresber. 1875 p. 39 animadvertit non eam mortem, qua ab alio aliquis afficiatur, sed eam solam, quam sibi ipse aliquis consciscat, vocari posse sontium suffugium. Sine dubio in ipsis mandatis soceri Antistii de culpa aliqua Plauti non potuit agi; nam Plautus socero Antistio insons videri debuit. Andresen ipse legi vult *effugeret segnem mortem, dum suffugium esset: magni nominis* et q. s. (coll. H. IV 18, 22; An. V 3, 2; H. I 21, 10/11); fieri enim non posse, ut enuntiato vi adhortandi praedito adiungatur oratio obliqua particula et. Hoc verum esse exempla supra adscripta docent. Sed alia emendatio minus violenta, quae etiam propriam Antistii sententiam exprimit, mihi in mentem venit. Illud enim segnem mortem effugere solum vix aptum videtur ad miserationem illam magni nominis excitandam et ad verba nullum interim subsidium aspernandum ita explicanda, ut iustis causis ab Antistio scripta esse videantur. Miseratio illa non excitari potuit nisi eo, quod nobilissimus Plautus miserias ac molestias fugae turpissimae pati debuit; praeterea verba nullum interim subsidium aspernandum aperte indicant Antistium genero suo Plauto aliquid suasisse, cui vehementer repugnavit Plauti decus ac nobilitas. Hoc autem satis exprimi mihi videtur, si codicis litterae ot|||| dissolvuntur in verbum obiret vel, quod magis quadrare videtur, peteret (ex pteret facillime fieri potuit corruptum illud ot||||); dein et cum Halmio in ex mutandum est, ut locus ille fiat exemplum eius dicendi generis, de quo modo egimus.

Huc pertinent etiam enuntiata a coniunctionibus ut et ne pendentia, quae verbis orandi monendi commovendi reguntur: H. II 44, 12: *quos Annius Gallus consilio precibus auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent: sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum;* — 46, 9 seq.: *is praetorii praefectus identidem orabat, ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui;* — III 25, 15: *voce flebili precabatur placatos patris*

manes, neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus; — IV 19, 15 seq.: *scripsit Herennio Gallo ..., ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum haesurum;* — 52, 1 seq.: *Titum .. multo apud patrem sermone orasse ferunt, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret: non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum;* — 53, 3 seq.; 54, 8 seq.; 83, 6 seq.; An. I 6, 18: *monuit Liviam ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam condicionem esse imperandi, ut* et q. s.; — 55, 8 seq. (Segestes): *suasitque Varo ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis* et q. s.; (cf. 68, 3 seq.); — IV 59, 17: *exstimulatur, ut-ostenderet: velle id populum Romanum;* — VI 35 (41), 2: *stimulant ne-sinerent: impetu-praeveniendum;* — XI 36, 6: *perpulere liberti, ne-consuleretur: sponte an coactus .. peccavisset, nihil referre;* — 37, 15: *suadebatque ne-opperiretur: transisse vitam* et q. s. — Verba illa sequitur infinitivus: Hist. IV 52, 10 seq.; — V 24, 5 seq.: *Veledam propinquosque monebat fortunam belli-opportuno erga populum Romanum merito mutare: caesos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam;* — XI 1, 4 seq.: *adiungitur Sosibius Britannici educator, qui-moneret Claudium cavere vim ..: praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Gai* (add. Ruperti) *Caesaris non extimuisse* et q. s.; — 16, 7: *hortatur gentile decus .. capessere: illum primum Romae ortum nec obsidem, sed civem ire externum ad imperium;* XIII 37, 22; — XV 12, 9; — 59, 1 seq.

b) oratio obliqua sequitur enuntiatum relativum, quod ex enuntiato regenti pendet:

H. IV 17, 9 seq.: *simul secretis sermonibus admonebat malorum, quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent: Batavos .. arma contra communes dominos cepisse* et q. s. — An. II 5, 4 seq.: *at ille-celerandae victoriae intentior tractare proeliorum vias et quae sibi-saeva vel prospera evenissent: fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis* et q. s.; — 14, 4 seq.: *vocat contionem et quae sapientia provisa aptaque*

imminenti pugnae disserit: non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed .. silvas et saltus; — XI 6, 2 seq.: *discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent: pulcherrimam alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari.* — Enuntiatum relativum habet sensum finalem hisce locis: H. IV 20, 1 seq.: *Batavi-praemisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret: nullum sibi bellum adversus Romanos* et q. s.; — An. XV 5, 1 seq.: *Corbulo-misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae inlatam: socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri.*

Restat locus, quo participium praesentis cum enuntiato condicionali coniunctum locum enuntiati relativi finalis tenet: Hist. IV 59, 16 seq.: *Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei, famem ferrumque et extrema passuros.*

c) primo loco pendet ex verbo finito enuntiati regentis proprie accusativus cum infinitivo; dein sequitur oratio obliqua:

H. I 56, 15: *missi a Vitellio ad legiones legatosque qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut .. faciendum imperatorem;* — II 7, 1 seq.: *Non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari: bello civili victores victosque numquam solida fide coalescere;* — III 81, 8: *eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura;* — IV 49, 12 seq. (Claudius Sagitta): *adseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data: cecidisse Galerianum consobrinum eius generumque;* — An. I 29, 7: *certatum inde sententiis, cum alii-permulcendum militem censerent, alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum; terrere, ni paveant;* — XI 16, 16 seq.: *testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere: adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur?;* — XIV 13, 3 seq.: *contra deterrimus quisque .. invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus et venerationem sui coram experiretur;* — XVI 25, 3: *quibus*

intrari curiam placebat, securos esse de constantia eius disserunt: nihil dicturum nisi quo gloriam augeret.

d) oratio obliqua sequitur interrogationem indirectam ex verbo interrogandi suspensam:

H. III 24, 3: *cur rursus sumpsissent arma Pannonicas legiones interrogabat: illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent;* — IV 7, 2 seq.: *paulatim .. ad continuas .. orationes provecti sunt, quaerente Helvidio, quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret: esse illi pecuniam et eloquentiam* et q. s.; — An. II 12, 7: *igitur-explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat: tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare* et q. s.; — VI 4 (10), 4: *inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent: metum prorsus et noxae conscientiam pro foedere haberi;* — XIII 37, 14: *mittebatque oratores, qui-expostularent, cur datis nuper obsidibus ... vetere Armeniae possessione depelleretur: ideo nondum ipsum Vologesum commotum, quia causa quam vi agere mallent;* — XV 1, 13 seq.: *accendebat dolorem eorum Monobazus .., quod praesidium aut unde peteret rogitans: iam de Armenia concessum, proxima trahi.*

e) oratio obliqua sequitur enuntiatum a coniunctione „quod" incipiens et proxime ad vim enuntiati causalis accedens:

H. IV 16, 1: *Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos quod castella deseruissent: sese cum cohorte .. Canninefatem tumultum compressurum* et q. s.; — An. I 40, 1 seq.: *eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium: satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum;* — 46, 2 seq.: *trepida civitas incusare Tiberium quod-dissideat — miles neque-comprimi queat: ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris;* — III 73, 5 seq.: *non alias magis .. indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret: ne Spartaco quidem-datum, ut pacto in fidem acciperetur;* — XII 2, 8 seq.: *at Pallas id maxime in Agrippina*

laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna: stirpem nobilem et familiae Iuliae (add. Freinshemius) *Claudiaeque posteros coniungeret, ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret;* — XIV 11, 1 seq.: *adiciebat crimina longius repetita, quod .. pericula(que) viris inlustribus struxisset: quanto suo labore perpetratum, ne;* — Accedit forma interrogationis rhetoricae: An. III 44, 6 seq.: *increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam: an Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore?* — Semel Tacitus ad eiusmodi enuntiatum, etsi iam in oratione aliqua positum fuit, novam addidit orationem obliquam: H. IV 42, 23: .. *cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti.* — Insolentius locum enuntiati ab quod incipientis tenet participium coniunctum: An. XV 29, 14 seq.: *quos* (animorum motus) *augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio: at nunc versos casus* et q. s. — Similiter est ubi accedunt ad participium nominativi substantivorum et adiectivorum: An. I 10, 19 seq.: *nec domesticis abstinebatur:* (incusabatur: cf. infra p. 105) *abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices an .. rite nuberet; Q. + Tedii et Vedii Pollionis luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca: nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet;* — 36, 4: *augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur, invasurus hostis: at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi;* — 47, 3 seq.: *multa quippe et diversa angebant: validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret?* — Non aliter explicari debet locus An. XIII 42, 8 seq.: ubi post verbum increpare loco enuntiati ab quod incipientis accusativus praedicative positus est: *nec Suillius questu aut exprobratione abstinebat .. Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset: simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae suetum*

livere iis, qui .. incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent.

f) oratio obliqua sequitur enuntiatum causale: An. IV 64, 9 seq.: *adduntur sententiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quandō cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies .. inviolata mansisset: evenisse id olim Claudiae Quintae eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem matris deum consecravisse;* al.

Locus dubius est: An. XII 17, 2/4: cod.: *quod aspernati sunt victores. Quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius iure caderent.* Vulgata iam colon post victores mutavit in comma, ut coniunctio ut haberet unde penderet. Editores varie egerunt: Bach et Kiessling ex aspernati sunt sumpserunt notionem decernendi, unde ut regeretur; Walther, quem nuperrime secutus est Draeger, verbis *ut-caderent* vim consecutivam tribuit; quam male id quadraret, quoniam in verbis sequentibus ipsa illa consecutio, ut ita dicam, expresse narratur, ipse Draeger sensisse videtur, cum verteret *so dass sie — fallen sollten.* Nam hoc non sensum consecutivum servavit, quem voluit Draeger exprimere, sed finaliter dictum est. — Alii Doederlinium secuti verba *quia-arduum* parenthesin esse volunt; ut notione decernendi ex aspernati sunt sumpta regi contendunt. Non placet. — Nuper J. Müller, Beitr. IV p. 9 seq. codicis verba defendere studuit; docuit enim haud raro uni enuntiato primario duo enuntiata secundaria subiuncta esse a Romanis, ita quidem, ut aut unum enuntiatum secundarium alteri subiunctum aut prius enuntiatum secundarium artius cum enuntiato primario coniunctum esset, quam alterum enuntiatum secundarium, quippe quod penderet ex illis unam quasi sententiam efficientibus. Dicta igitur essent verba illa aut pro: — *aspernati sunt victores, ut, quia-arduum, belli iure caderent,* aut pro *quod, quia-arduum, aspernati sunt victores, ut belli potius iure caderent.* Sed si hac ratione verba nostra transponimus id ipsum, in quo offenditur, i. e. insolita enuntiati ab ut incipientis collocatio molestissime fertur. Mülleri igitur exemplis pro-

bari debet, tale quid fieri potuisse. Ad priorem illam formam probandam nos relegat Müller ad fasc. II p. 14: sed exempla ibi allata prorsus aliter conformata sunt; ut unum locum accurate comparem: An. III 68, 1 s. *Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti recitari iubet*, dicendum est eo tum demum aliquid profici, si transposita erunt verba sic: *Tiberius libellos divi Augusti recitari iubet, quae in Silanum parabat, quo excusatius acciperentur:* quod mihi quidem ineptum videtur; similiter iudicandum est de locis H. II 25, 1—2; — An. IV 18, 2—5; XI 21, 3/5; — H. II 72, 5/11. Locum enuntiati secundarii secundo loco positi tenet participium coniunctum, quod tam arte subiecto enuntiati primarii adiunctum est, ut collocatio insolentior excusetur: An. 1, 45, 7: *igitur Caesar arma classem socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus;* similiter: III 21, 9—12; H. IV 42, 1—3. — Nonnullis locis enuntiatum magis remotum ipso primarii enuntiati verbo regitur ita ut tota periodus inepta fieret, si abesset: An. IV 8, 19 s.: *precatusque sum, quamquam esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foveret*; item: III 71, 10—13. — Omnino non quadrant An. II 88, 9; VI 15 (9), 8; H. III 36, 1. — Fieri igitur non potuit, ut enuntiato primario plenam sententiam continenti enuntiatum secundarium sensu finali ita adiungeretur, ut ipsum alio enuntiato sibi ipsi subiuncto plane ab illo seiungeretur. — Alteram illam formam, qua verba nostra posita esse putat Müller pro *quod, quia-arduum, asp. s. v., ut-caderent,* haud felicius probare studuit exemplis, quorum nullum pariter conformatum est. In omnibus enim enuntiatum secundarium secundo loco positum multo artius cum ipso enuntiato primario cohaeret; aut enim ita, ut ex ipso verbo enuntiati primarii pendeat: cf. H. IV 5, 1 s. *res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque paucis repetam;* Liv. 8, 13, 13: *reliqua consultatio est, quoniam rebellando saepius non sollicitant, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus;* Sall. Cat. 5, 9, aut, si arta haec coniunctio facta non est, collocatione res expeditur cf. An. XIII 16, 3 s. *quia cibos-explorabat, ne-proderetur scelus,*

talis dolus repertus est; — IV 6, 1 s. *congruens crediderim recensere-partes, quibus modis . . . habitae sint, quoniam* et q. s.; An. I 23, 16 s. *quin ipsae inter se legiones octava et quinta decuma ferrum parabant, dum centurionem-Sirpicum illa morti deposcit, quinta decumani tuentur, ni miles Romanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset* enuntiatum illud ab ni incipiens nullo modo deesse potest; item H. III 86, 10. At nostro loco enuntiatum *ut-caderent* nec arte cum enuntiato primario cohaeret nec omnino tam necessarium est, ut deesse nequeat. — Praeterea Mülleri interpretationi obstat, quod vix feliciter propriis verbis dictum esse videtur, nulla alia ex causa victores condiciones Uspensium aspernatos esse quam ut eos necarent. — Locus sine dubio corruptus est rectissimeque iam Haase corruptelam in voce ut inesse contendit; scripsit at: sed eiusmodi antitheseos iusta causa non intellegitur. Nipperdey delevit ut et interpunxit: *quod aspernati sunt victores, quia-arduum: belli potius iure caderent;* sed melius enuntiatum ab quia incipiens ut ex cogitatione victorum dictum explicatur; itaque, cum omissio coniunctivi esset, ut recte Nipperdey ad An. I 7 p. 10, 3 adnotavit, non admittatur, nisi alius coniunctivus eadem ratione grammatica positus sequitur, legas velim: ... *arduum esset: belli potius iure caderent.*

Locum enuntiati causalis tenet ablativus absolutus: H. IV 76, 5: *Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat, coeuntibus undique exercitibus: transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia;* — An. XII 5, 3 seq.: *necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae: quin et incestum* (esse) *ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet metuebatur.* — Participium appositionaliter positum vice enuntiati causalis fungitur: An. I 79, 8 seq.: *nec Reatini silebant, Velinum lacum-obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum: optume rebus mortalium consuluisse naturam* et q. s.; accedit forma interrogationis rhetoricae: An. XVI 29, 5: *et erant qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas daturum: quid Agrippino obiectum nisi tristem patris*

fortunam? — Dictio praepositionalis loco enuntiati causalis exstat: An. I 44, 4: *reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem: venturum filium; cetera ipsi exsequerentur.*

g) oratio obliqua sequitur enuntiatum temporale coniunctivo modo positum:

H. I 33, 1: *festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum: trepidaturum etiam Othonem* et q. s.; — 62, 1 seq.: *mira inter exercitum imperatoremque diversitas: instare miles, arma poscere, dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur: non obstare hiemem neque ignavae pacis moras;* al.

h) oratio obliqua sequitur enuntiatum condicionale:

H. V 18, 7 s.: *inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques immitteretur: solidum illa et Gugernos ... parum intentos;* — An. II 50, 5 seq.: *maiestatis crimen distingui Caesar postulavit damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari;* — XIII 20, 13: *Nero trepidus et interficiendae matris avidus non prius differi potuit, quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicumque, nedum parenti defensionem tribuendam.*

i) oratio obliqua sequitur enuntiatum modale:

An. XII 12, 3 seq.: *ac tamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia + per illas quoque gentes celebrata.* In codice lacuna est post vocem Cassia octo litterarum, ut Ritter adnotat. Halm supplevit ratus, quod a recentiore manu superscriptum est; Ritter (1864) et gloria. Locus incertus; sed in omissione verbi dicendi non est offendendum. Comparari potest locus An. XV 33, 5: *non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit: inde initium fore* et q. s.

k) oratio obliqua sequitur enuntiatum finale:

H. I 21, 4: *fingebat et metum, quo magis concupisceret: praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius*

exilii honorem expectandum; — IV 56, 3: *vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent: adliciendos potius in societatem;* — An. XI 15, 1 seq.: *rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos* et q. s. — Dativus gerundivi locum obtinet enuntiati finalis hoc uno loco: An. XII 41, 7: *et ludicro circensium, quod adquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in praetexta, Nero triumphali veste travecti sunt: spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu ac perinde fortunam utriusque praesumeret.* Patet, post vocem sunt coniunctio ut cum Bezzenbergero (Rupertio), quem Draeger sequitur, quia omissio verbi dicendi, quod nullo modo in antecedentibus indicetur, ferri non possit, inseratur non esse necessarium.

l) oratio obliqua sequitur enuntiata forma, ut ita dicam, non secundaria, sed sententia, ut quibus Tacitus ut praeteritorum temporum narrator aliquid ita describat, ut forma orationis non indicetur, agi de cogitatione personarum agentium: ac tamen latenter ea depinguntur, quae illae cogitaverint (cf. Nipp. ad An. I 36 p. 44, 17). Patet post eiusmodi narrationem inseri potuisse orationem obliquam, ut clarius cogitationes personarum agentium perspiciantur. Itaque collatis locis H. II 6, 14 seq.: *fremere miles et vires suas circumspicere: septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Suria Iudaeaque; inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quidquid* et q. s.; — An. I 36, 4 seq.: *augebat metum — invasurus hostis: at si auxilia — amarentur, civile bellum suscipi: periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concederentur, in ancipiti res publica;* — 41, 7: *pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria: socer Drusus, ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia* et q. s. (cf. etiam Andresen, Jahresber. 1877, p. 76 ann. 3, qui nostrum locum exemplum esse vult eius dicendi formae, quam Nipperdey tractavit ad An. XI 34, 3): his igitur locis collatis nemo offendere potest in loco An. XV 5, 8: *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi, nec praesentia prospere fluebant: inritum obsidium, tutus manu et copiis Tigranes, fugati*

qui expugnationem sumpserant, missae in Armeniam legiones et aliae pro Suria paratae ultro inrumpere: sibi imbecillum equitem pabuli inopia et q. s. (cf. Nipp.) — Huc referas velim etiam locum varie tentatum: XII 64, 1—6: *M. Asinio M'. Acilio consulibus mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis; signa ac tentoria militum igni caelesti arsere; fastigio Capitolii examen apium insedit; biformes hominum partus et suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent: numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus* et q. s. Controversia est inter viros doctos, qua ratione explicentur verba *biformes - inessent.* Quia subitus ex oratione recta transitus in orationem obliquam durior esset et, si vox fetum ut nominativus intellegeretur, insolentius existeret ἅπαξ εἰρημένον, mutaverunt Lipsius et Nipperdey fetus editus (quod etiam Halm olim commendavit: cf. J. Jahrb. 109, p. 412). Sed offendendum est in coniunctivo inessent: aut enim, si verba dicta esse iubes ex Taciti sententia, scribendum fuit infuissent vel inerant, aut, si Tacitum hoc loco scripsisse contendis, quae eo tempore, quo prodigia illa facta sunt, homines dixerint, in protasi accusativus cum infinitivo debuit adhiberi. Nipperdey rem expedivisse sibi visus est explicatione coniunctivum inessent positum esse, quia genus ac species fetus illius describeretur. Sed ubi tali enuntiato relativo aliquid narratur, quod re vera factum est, ubique, nisi adest oratio obliqua, modus indicativus adhiberi solet (cf. Kühner II 2 p. 850 § 194, 1). Et in eo ipso vertebatur tota res, quod homines illi credebant suis illi fetui re vera fuisse accipitrum ungues. Itaque qui fetus editus scribit, ei quoque legendum inerant. — Sed, quaeso, subitus in orationem obliquam transitus estne nostro loco tam audax, ut ferri non possit? Equidem nego et eorum tentamina improbo, qui verbum in textum receperunt, ex quo penderet oratio obliqua (Doederlein ferebant excidisse contendit, Ritter [1864] nuntiaverant). Madvig, adv. cr. II p. 552 collatis locis An. I 28, 8 et IV 55, 14 proponit lectionem: *et suis fetum editum esse creditum* (sc. est), *cui* ... (de hac coniectura cf. Halm l. l.; Wölfflin, Burs. Jahresb. 1875 II p. 783; Andresen,

Jahresber. 1875 p. 38). Sed collato loco An. XV 5, 12 (cf. Nipperdei adnotationem) emendatione tali opus non est. Tacitus duo illa prodigia, quae continentur verbis *signa-insedit*, quibus ipse fidem habet, ut re vera facta describit simulque hac descriptione latenter significat etiam ab iis, qui ipsi ea vidissent, fidem habitam esse illis miraculis. Quod facere potuit, quia suam et vulgi illius fidem inter se consentire haud ignorabat. Sed ubi verba facienda erant Tacito de prodigiis, quae vulgus quidem credebat, sed ipse non credebat, non iam latenter vulgi fidem oratione recta adhibita depingere ei licuit, sed oratione obliqua uti debuit, qua quasi in sententiam credulae multitudinis induceremur.

Nipperdey praeterea orationem obliquam nostro loco fieri non posse contendit, quia persona, de cuius verbis vel cogitationibus ageretur, in antecedentibus memorata non esset. Minime! Persona enim agens, ut ita dicam, satis significata est et verbo cognitum est et verbo numerabatur: est autem vulgus: cf. XII 5, 5 et q. s.

C. Verbum regens enuntiati primarii proprie ad obiectum aliquod pertinet; itaque non ipsum ad sequentem orationem obliquam referri potest, qua ea, quae enuntiato primario verbis sententiisque absoluto continentur, accuratius explicantur. Plerumque verbum regens est verbum dicendi vel sentiendi, quo res magnopere expeditur.

Dial. 30, 14: — *suae eloquentiae velut quandam educationem refert* (sic corr. B): *se apud Q. Mucium ius civile didicisse* et q. s.; — H. I 50, 10 seq.: *vastitatem Italiae .. nota publicarum cladium nomina loquebantur: prope eversum orbem* et q. s.; — II 16, 13: *laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse quam incolerent* et q. s.; — IV 85, 8: *sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum;* — V 5, 18: *Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos qui deum imagines mortalibus materiis in*

species hominum effingant; — An. I 67, 1: *tunc contractos in principia-temporis ac necessitatis monet: unam in armis salutem;* — 79, 6: *congruentia his Interamnates disseruere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos;* — III 56, 13: *modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit: esse illi coniugem* et q. s.; — XIV 21, 1: — *ac tamen honesta nomina praetendebant: maiores quoque non abhorruisse* et q. s.; — 62, 9: *igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis-subvenisse.* — Passive conformatus est locus: dial.: 10, 34: *sentio quid responderi possit: hinc ingentis existere adsensus* et q. s. — Locum obiecti obtinet dictio praepositionalis: An. I 11, 1: *et ille varie disserebat de magnitudine imperii, sua modestia: solam .. Augusti mentem tantae molis capacem* et q. s.; — IV 14, 10: *postremo Caesar de inmodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos temptari.* — Accedit forma rhetoricae interrogationis: H II 74, 12: *aliquando adversa reputabat: quis ille dies foret, quo* et q. s.? An. XIV 11, 10: *namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes iuveniretur ut crederet?* Duo loci inveniuntur, quibus oratio obliqua sequitur enuntiatum primarium, in quo verbum dicendi omissum quidem est, sed facillime intellegitur: H. V 25, 12: *haec volgus, proceres atrociora: Civilis rabie semet in arma trusos;* — An. XVI 26, 1 s. *de ipso Thrasea eadem, sed ludibria et contumelias imminere: subtraheret aures conviciis et probris.* — Alia aliquatenus res est, ubi verbum finitum enuntiati secundarii ipsum orationem obliquam regere non potest; sed, cum aliquid significet, quod aut mente aut ore agitur, oratio obliqua facillime ei adiungi potuit. Collatis enim exemplis, in quibus non extat haec breviter dicendi species, — proprie enim adiecta est notio declarandi, unde penderet oratio obliqua — ut Agr. 15, 1 seq.: *namque absentia legati remoto metu Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere* (i. e. augere, intendere: cf. lex. Tacit.): *nihil profici patienta nisi* et q. s.; — H. I 52, 16: *instigare Vitellium, ardorem militum ostentans: ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram* et q. s.; — hac ratione explicabis hosce locos H. II 1, 15:

anxius animo-cuncta utrimque perlustrat: si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore; — II 70, 10: *aderat Valens et Caecina, monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus;* — An. I 31, 13: *igitur audito fine Augusti vernacula multitudo-implere ceterorum rudes animos: venisse tempus, quo* et q. s.; — 34, 15: *Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit: nil usquam turbidum aut discors;* — IV 30, 9: *ibaturque in eam sententiam, ni — Caesar inritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura, quam custodes eorum amoverent;* — cf. An. XV 17, 1: *ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquerente iam inritum laborem: potuisse bellum fuga Parthorum finiri.* — VI 31 (37), 18: *Phraaten, regis Phraatis filium, Roma poscebant: nomine tantum et auctore opus, ut* et q. s.; — XV 1, 10: *idque primores gentium aegre tolerabant: eo contemptionis descensum, ut* et q. s.; — 19, 5: *magna cum invidia senatum adeunt, ius naturae, labores... et brevitatem adoptionis enumerant: satis pretii esse orbis quod multa securitate, nullis oneribus gratiam honores cuncta prompta et obvia haberent.* — Accedit forma interrogationis rhetoricae: H. II 48, 8 s. *mox Salvium Cocceianum-solatus est, laudando pietatem, castigando formidinem: an Vitellium tam immitis animi fore, ut* et q. s.; — IV 69, 8: *deterruit plerosque provinciarum aemulatio: quod bello caput? unde ius auspiciumque peteretur?* — An. VI 2, 13: *egit gratis benevolentiae patrum: sed quos omitti posse, quos deligi?* — Unum locum invenimus, quo verbum finitum enuntiati primarii nec vim dicendi nec sentiendi, sed agendi habet; ac tamen ei subiungitur oratio obliqua, quia coniunctum est cum notione dicendi: H. V 17, 1 *nec Civilis silens instruxit aciem, locum pugnae testem virtutis ciens: stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae* et q. s.

II. De oratione obliqua substantivis adiuncta.

1. Primo loco commemoranda sunt ea exempla, quibus probatur a Tacito haud raro substantivum cum verbo ita coniunctum esse, ut fere unam efficeret notionem, ex qua oratio obliqua esset suspensa; suppletur verbum regens.

a) enuntiatum primarium et sententiis et verbis absolutum est nec indiget orationis obliquae, quae epexegetice additur:

H. III 53, 4: *literas ad Vespasianum composuit iactantius nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse;* it. An. II 82, 3; — III 12, 1; — 17, 6. — H. IV 25, 2: *infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iussu derectam adversus Batavos aciem* et q. s.; — An. III 37, 4: *utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe inter coetus et sermones hominum versante secreta patris mitigari.* Similiter dictio praepositionalis extat: H. II 75, 1: *versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices* et q. s.; — IV 62, 3: *medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque-paventes, melior pars rubore et infamia: quale illud iter? quis dux viae?* et q. s.

b) ex enuntiato primario pendet aliud enuntiatum; dein sequitur oratio obliqua:

α) enuntiatum coniunctivo adhortativo praeditum seq. or. obl.: An. IV 53, 3: *mox invidiam et preces orditur, subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc inventam sibi* et q. s.; — XIV 22, 14: *Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis seque prava diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros* et q. s.; — XV 11, 10: *ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa-tueretur: se fidem interim .. retenturos.*

β) enuntiatum ab ut incipiens sequitur oratio obliqua: An. XIV 36, 2: *exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas: plus illic feminarum quam iuventutis aspici.*

γ) enuntiatum ab **quod** incipiens sequitur oratio obliqua: An. XV 13, 11: *primas tamen literas ad Vologesen non supplices, sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis hostilia faceret: pacem ex aequo utilem* et q. s.

Enotandus est locus, quo coniunctione verborum **manus tendere** notio orandi efficitur: An. XII 65, 16: *modo ad deos, modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur* (H. IV 34, 24: *manus ad digressos tendere, ne tempori deessent;* — V 16, 17: *ad exercitum Germanicum manus tendebat, ut suam ripam-reciperarent*). His locis comparatis fortasse locus, qui varie tentatus est a viris doctis, defendi potest. Legitur enim An. XIV 61, 8 seq.: *quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet* et q. s.

Infinitivum **agi** in **ait** mutavit Bezzenberger; Ritter (1864) scripsit **agi ait.** Emendatione opus non est; nam Tacitum pro usitata dictione **res est eo loci** dicere potuisse **res agitur eo loci**, etsi alias non invenitur, tamen nemo negabit (cf. Hand. Turs. II p. 409; Haase, Zeitschr. f. Alt.-W. 1838 p. 268; Halm, J. Jahrb. 56 p. 29). Sed offenditur plerumque in omissione verbi finiti, ex quo penderet accusativus cum infinitivo: non iure, ut mihi videtur. Interpungas, quaeso: *quae semper-atrox, ne-mutaretur, provoluta genibus eius: non eo loci res suas agi, ut* et q. s. Ad participium illud **provoluta** suppleas **est**. Etsi aliis quibusdam locis An. XI 30, 2: *genibus Caesaris provoluta nupsisse Messalinam Silio exclamat*, et XII 18, 7—8: *genibusque eius provolutus. Mithridates, inquit, terra marique Romanis-quaesitus sponte adsum* dictionem **provolvi genibus alicuius** sequitur verbum dicendi, ex quo pendet accusativus cum infinitivo, attamen causa non esse videtur, cur etiam nostro loco verbum dicendi inseramus; nam ut loco XII 65, 16 dictio **manus tendere**, qua nil nisi gestus orantis exprimitur, satis valet ad orationem obliquam inducendam, ita etiam dictionem **genibus alicuius provolvi** supplicem depingentem sequi potest oratio obliqua.

2. Ad ipsa substantiva additur oratio obliqua. — Praemittenda sunt haec. Haud raro invenitur apud scriptores Latinos substantivis significatione dicendi et sentiendi praeditis adiungi accusativum cum infinitivo (cf. Draeger, h. Synt. II p. 400). Naegelsbach, Stil. p. 524 seq., rem ipsam explicare studuit; docet enim, ubi ipsum substantivum sequatur accusativus cum infinitivo, plerumque supplendam esse notionem verbalem, ex quo proprie eum suspensum esse Romani sibi finxerint. Quod probari mihi videtur eo, quod apud priscae latinitatis scriptores ut apud minus breviter ellipticeve locutos multo rarius huius dicendi formae exempla deprehenduntur quam apud scriptores latinitatis inferioris. Sic proprie, ut exemplum afferam, explicandus est locus Caesarianus, b. c. III 31, 2: *quum - nonnullae militum* voces *tum audirentur* (sc. clamitantium), *se .. arma non laturos.* Ii qui hanc dicendi brevitatem non adhibuerunt, aut notionem demonstrativam, qua ad accusativum c. inf. epexegetice adiectum quasi adverteremur, aut enuntiatum secundarium, quo ille induceretur, coniunxerunt cum eiusmodi substantivis: cf. Tac. An. XII 19, 4: *simul legatos* literasque *ad Caesarem* in hunc *modum mittit: populi Romani imperatoribus - esse,* et H. IV 75, 1: *Civilis et Classicus misere ad Cerialem* epistulas, quarum haec sententia *fuit: Vespasianum - excessisse vita* et q. s. His locis comparatis unicuique iudicandum est, elliptice esse conformatos locos ut: An. I 36, 10: *placitum ut epistulae nomine principis scriberentur: missionem dari* et q. s. (cf. etiam Haacke, Stilistik p. 282).

A Tacito breviter accusativus c. inf. coniunctus est cum ipsis substantivis hisce locis:

a) notio declarandi inest substantivo: An. XIII 3, 4: (commemoratio); — H. III 8, 12: (consilium); — An. VI 20 (26), 6: (dictum); — An. I 36, 10: (epistula); — VI 30 (36), 11: (fama); — XV 47, 7: (interpretatio); — IV 24, 1, — 54, 11, — V 10, 2, — XV 39, 11: (rumor); — IV 56, 9: (testis); — II 22, 2: (titulus); — XV 65, 6, (— 25, 19): (verbum); — H. V 13, 5, — An. II 57, 14, — III 14, 14, — XII 39, 8, — 60, 1, — XV 64, 17: (vox). Exemplorum horum numerus facile augeri poterit.

b) notio sentiendi vel cogitandi ut: H. I 4, 9: (arcanum); — II 85, 8: (consilium); — An. II 68, 10, — VI 43 (49), 10: (fides); — An. I 39, 4: (metus: cf. plene conformatum locum II 41, 12); — An. I 55, 4: (spes); — An. I 55, 4: (suspicio). — His breviter disputatis distinguenda sunt orationis obliquae ex substantivis pendentis haec genera:

a) oratio obliqua sequitur

α) accusativum cum infinitivo ab ipso substantivo rectum: An. IV 15, 9: *magna cum adseveratione principis, non se ius nisi in servitia-dedisse: quod si-foret, spreta in eo mandata sua;* — Agr. 39, 3: *inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum* et q. s.: *at nunc veram magnamque victoriam-ingenti fama celebrari;* — H. V 20, 6: *nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam adfore: simul Cerialem neque satis cautum et pluribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi* (de verborum collocatione cf. § 6, 3). — An. VI 30 (36), 11: *unde fama constans ausum mittere ad Caesarem literas, adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte-coeptam: perinde se quam Tiberium falli potuisse;* — ib. 22 (28), 4 s. — *ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae: ideo creberrime tristia in bonos, laeta apud deteriores esse;* — II 2, 5: *mox subiit pudor degeneravisse Parthos: petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum;* — XIII 57, 4: — *religione insita eos maxime locos propinquare caelo precesque mortalium a deis nusquam propius audiri: inde indulgentia numinum illo in amne .. salem provenire;* — I 5, 2: *quippe rumor incesserat paucos ante menses Augustum-Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis.*

β) aliud enuntiatum secundarium ab ipso substantivo rectum; enuntiatum secundarium incipit ab

quod: H. III, 70, 3: *misit cum mandatis et questu, quod pacta turbarentur: simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot inlustres viros;* al.

ut et **ne**: H. IV 32, 5: *et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret: si Vespasianum iuvare adgressus foret, satis factum coeptis;* al.

b) enuntiatum primarium absolutum est et sententiis et verbis; epexegetice oratio obliqua adiungitur substantivo in enuntiato primario posito; suppletur verbum regens.

An. XII 6, 1: *multaque patrum adscntatio sequebatur, capto rursus initio: quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate-insignem;* — IV 16, 6: *pluresque eius rei causas adferebat: potissimam penes incuriam virorum feminarumque; accedere ipsius caerimoniae difficultates* et q. s.; — H. IV 55, 8: *Sabinum-falsae stirpis gloria incende bat: proaviam suam divo Iulio-corpore atque adulterio placuisse.* — An. XV 24, 2: *literasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata super optinenda Armenia nunc omittere* et q. s.; — IV 8, 8: *et effusum in lacrimas senatum-oratione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui, quod* et q. s.; I 59, 6: *neque probris temperabat: egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam avexerint;* — An. I 4, 7: *pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum* et q. s.; — IV 10, 2: *sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat: corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse* et q. s.; — H. V. 25, 2: *inter Batavos quoque sermones orti: non prorogandam ultra ruinam;* — An. I 31, 18 seq.: *non unus haec ..., sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rem publicam* et q. s. — Oratio obliqua incipit ab interrogatione rhetorica: An. I 26, 5 (Drusus): *clamore turbatur: cur venisset-nulla bene faciendi licentia?;* — H. IV 4, 1: *materiam sermonibus praebuere: si privatus esset, cur publice loqueretur?* — An. XI 19, 10: *Corbulo semina rebellionis praebebat, ut laeta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama: cur hostem conciret? adversa in rempublicam casura.* — Oratio obliqua incipit ab coniunctivo adhortativo: H. I 65, 12: *nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces: irent ultores, excinderent sedem Gallici belli.* — Haec sufficiant.

III. De oratione obliqua adiectivis adiuncta.

Pauca tantum enotavi exempla huius dicendi formae nec sine audacia quadam dicta. Oratio enim obliqua epexegetice sequitur adiectivum cum enuntiato secundario coniunctum: H. III 26, 4: *haesere victores* *incertis* *ducibus quid iuberent: incipere obpugnationem - arduum et - anceps: sin Bedriacum redirent* et q. s. — An. XIV 8, 13: — *magis ac magis* *anxia* *Aggrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem: aliam fore laetae rei faciem* et q. s. — Locum enuntiati secundarii tenet genetivus gerundivi: H. IV 72, 1: *Cerialis postero di coloniam Treverorum ingressus est,* *avido* *milite eruendae civitatis: hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam.*

§ 4.

Verba omittuntur, si ex antecedentibus vel sequentibus suppleri possunt.

I. Notio idem significans antecedit vel sequitur.

1. de enuntiatis, quae eadem condicione grammatica utuntur.

Aut ex enuntiato primario in aliud enuntiatum primarium, aut ex enuntiato secundario in aliud enuntiatum secundarium ex eodem verbo regenti pendens eademque condicione grammatica positum repetitur verbum omissum:

H. III 2, 13/14: *quid tum claustra montium profutura? quid tractum in aestatem aliam bellum?* — 38, 4: *sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos .. nuntiatur; cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis;* — V 4, 11—13: *septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Alii* (ferunt) *honorem eum Saturno haberi* et q. s. cf. H. IV 32, 7/11; III 24, 8/12. — An. I 34, 9/11: *adsistentem contionem - discedere in manipulos iubet: sic melius audituros, responsum; vexilla praeferri* (iubet), *ut id saltem discerneret cohortes: tarde obtemperavere;* — 47, 3—6: *multa quippe et diversa angebant: validior*

per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac (angebat) *ne postpositi contumelia incenderentur* (cf. p. 81); de loco II 60, 5 s. cf. § 6, 4; — III 47, 1 s. *tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatu scripsit; neque dempsit aut addidit vero, sed* (scripsit) *fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse;* — VI 34 (40), 13: *ceterum derecta utrimque acie Parthus imperium orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Hiberum, mercennario milite disserebat; Pharasmanes* (disserebat), *integros semet a Parthico dominatu* et q. s.; — XIII 51, 1—6: *ergo edixit princeps, ut-militibus immunitas servaretur, nisi in iis quae veno exercerent; aliaque admodum aequa* (edixit), *quae brevi servata, dein frustra habita sunt;* — XV 17, 3—5: *ille integra utrique cuncta respondit: converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam-infirmatam. Non ea imperatoris habere mandata Corbulo* (respondit). — XIII 56, 1 seq. cod: *Et commotus his Avitus patienda meliorum imperia > id diis quos implorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos paterentur. Haec in publicum Ampsivariis respondit, ipsi Boiocalo, ob memoriam amicitiae daturum agros.* Quia oratio obliqua ferri non posset omisso verbo regenti, inter verba imperia id evanuisse ait suspicatus est Ritter (1848 et 1864). Lipsius iam pro imperia id scripsit imperia ait; Halm emendationem proponit ait commotus his. Sed et omissio verbi dicendi sola oratione obliqua satis excusatur et quod sequitur verbum respondit satis superque indicat, quid supplendum sit in verbis antecedentibus. — Nec in voce id offendendum est cum Wurmio, qui collatis locis III 69, 12 — 13; — XII 20, 12; — XIII 17, 13 scripsit *ita diis-placitum* et q. s. (cf. Philol. IX p. 99); similiter enim neque quod neque ne coniunctione vocem id sequente legitur An. III 69, 22: *id sororem quoque-expetere.*

Enotandus est locus H. IV 33, 21 — 22: *caesorum eo die in partibus nostris maior numerus, set inbellior, e Germanis ipsa robora;* suppletur caesa sunt; magis ad cotidianum dicendi usum accessisset Tacitus, si scripsisset: *eo die in partibus*

nostris maior numerus, set .inbellior caesus est, e Germanis ipsa robora.

Loci dubii sunt:

H. I 44, 7/10; legitur apud plerosque editores: *praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, qui vere qui falso ut pulchrum et memorabile facinus iactabant.* J. Müller, Beitr. I p. 24 seq. interpungere voluit: ... *qui occiderant; qui interfuerant, qui vere qui falso* (sc. interfuerant), *ut pulchrum - facinus iactabant.* Sed quid sibi vult: *qui falso interfuerant?* minime verti potest: *welche angeblich beteiligt waren.* Retinenda est solita interpunctio.

H. III 23, 11: Müller, l. l. IV 43, explicat: *neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque; sed Flavianis aequior a tergo* (sc. surgebat: kam, schien). Melius suppletur erat. cf. ed. Heraei. — An. XV 41, 2 - 10 cod.: *sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat, aedesque Statoris Iovis, vota Romulo Numaeque regia et delubrum Vestae cum Penatibus populi Romani exusta; iam opes tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora, exim monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine multa seniores meminerint, quae reparari nequibant.* Locus est vexatissimus. Walther rem expedire studuit verbum exusta etiam ad opes, decora, monumenta referendo, ita: .... *exusta: iam opes .. decora, exim monumenta .. incorrupta* (sc. exusta): *quamvis in tanta - pulchritudine multa seniores meminerint, quae reparari nequibant.* — Ritter (1848 et 1864), Orelli - Baiter, Haase, Draeger interpungunt: .... *exusta. Iam opes - decora* (sc. exusta); *exim monumenta ,... multa seniores meminerint* et q. s. (i. e.: *facile meminisse possunt;* Ritter scripsit: *meminerunt*). Nipperdeium offendit verbum male suppletum exusta sc. sunt, quo tota verborum structura quasi corrumperetur (cf. edit. III); itaque recepit coniecturam Ernestii, qua quaesitae mutatur in quaesitas; accusativi inde ab opes cum meminerint coniunguntur. Halm novissime propriam emendationem

proposuit coniunctione ut ante quamvis in textum inserta; eum secutus est Andresen in ed. IV recognitionis Nipperdeianae.

Pro certo affirmare licet particulis iam-exim indicari ea, quae iis inter se coniungantur, uni eidemque structurae esse subiuncta; quamobrem durius Ritter, Baiter, Haase, Draeger verborum coniunctionem quasi divellunt voces opes-decora ut nominativos ad exusta, sequentem autem notionem monumenta ut accusativum ad meminerint referendo. (Quod ad omissionem, verbi exusta sunt attinet, quam hoc loco admitti potuisse ab omnibus praeter unum Nipperdeium conceditur, sane in ea offendendum non est: cf. ea quae supra exposuimus). — Emendatio Halmiana, quae eam duritiam, quam modo descripsimus, et illam, quae, si Waltheri explicationem secutus eris, ex eo proficiscetur, quod enuntiatum *quamvis-meminerint* male antecedentibus tanquam apodosis adnexum est, evitare vult, novam ipsa gignit, cum Tacitus enuntiatum consecutivum enuntiato verbo finito carenti — nisi verbum substantivum excipias — subiungere solitus non sit. Reliqua igitur est Nipperdei explicatio, in qua aegre acquiesci potest, nisi scribi mavis: — *decora, exin monumenta interierunt antiqua et incorrupta*, (ita) *ut* et q. s. Similiter Tacitus in fine narrationis alicuius enuntiato consecutivo ab ut incipiente exposuit, quae suae aetatis homines cogitassent: H. II 46, 15 seq.: *nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus.*

Similem verbi finiti omissionem exstare dicunt in eiusdem libri capite 44, 19 s., ubi legitur: *et pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Defensores codicis verborum vocem flammandi significare volunt flammae destinati (Walther, Bach, Orelli-Baiter), particulae atque tribuunt vim epexegeticam (und zwar); post flammandi supplent interirent.

Sed ut offendendum non est in huius explicationis parte extrema (nam vix de omissione verbi interirent cogitari potest, sed figura quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ adhibita Tacitus verba ita disposuit, ut verbum ad singula enuntiati membra pertinens in fine membri primi poneret: cf. infra § 6, 3), ita eo magis displicet et gerundium flammandi et, quod verba flammandi et atque-urerentur molestam efficiunt tautologiam; quae non tollitur sive cum Agricola scribis flammati sive cum Meursio flamma usti sive cum Bernaysio flamma divexati sive cum Halmio, duce Sulpicio Severo (cf. ann. crit. ap. Halm.) *multi crucibus affixi aut flamma usti, aliique, ubi defecisset* et q. s.; nam ii quoque, qui in usum nocturni luminis uruntur, flamma uruntur. Attamen res fortasse ferri posset, nisi molestissime coniuncta essent synonyma flammare et urere. Praeterea insolentior mihi videtur dictio *in usum nocturni luminis* uri. Gravius corruptus esse videtur locus, quam ut leni medela emendari possit. Nipperdey delevit verba *aut crucibus affixi aut flammandi*, ut quae mortis genera parum ludibriis quasi obnoxia describerent praetereaque orationem male interrumperent. Sed haec non sufficiunt ad glossema statuendum; nam et crucibus affixis et flamma pereuntibus satis ludibriorum addi potuerunt et vix verisimile videtur, verba illa esse inserta a librario quodam, qui poenas illas, quibus Christiani plerumque affecti essent, desiderasset. Fortasse legendum est: *et pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi et flamma divexati, ubi defecisset dies in usum nocturni luminis verterentur:* cf. Iuvenalianum illud 1, 155 seq.:

— — — — — — — — *taeda lucebis in illa,*
Qua stantes ardent, qui fixo pectore fumant,
Et latum media sulcum deducis arena.

— ib. 72, 4—9: cod.: *Tum quasi gesta bello expositurus vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpi*(li)*ano consulari Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud Palatium quoque effigies eorum sisteret.*

Consularia insignia Nymphidio. Quannc primum oblatus est, pauca repetam et q. s. Utrum litteras quannc dissolvas in *qui quia nunc* (Weissenborn) an *qui quoniam nunc* (Halm) an *de quo quia nunc* non multum interest. Nipperdey maiorem lacunam indicavit post Nymphidio; evanuisse enim putat et verbum finitum, quia durius verbum tribuit antea positum cogitatione hoc loco repetatur, et verba, quibus narretur, Nymphidium creatum esse praefectum praetorio. Sed in omissione verbi tribuit offendi non potest; satis enim indicatur et verbis ipsis *consularia insignia Nymphidio* — dativo advertimur ad supplendam dandi notionem — et quia paullo ante iam est positum. Maiorem autem lacunam, vel omnino lacunam indicare non licet, ut mihi videtur, propter ipsa verba *de quo (?) quia nunc primum oblatus est, pauca repetam.*

Huc pertinent ea exempla, quibus demonstratur Tacitum unum idemque verbum ad unum eiusdem periodi membrum alia forma posuisse quam ad alterum. Cotidiana est haec brevitas; pauca igitur sufficiant exempla. — H. I 15, 12: *sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in re publica;* — ib. 16, 11—14: *sit ante oculos Nero, quem longa Caesarum serie tumentem non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt;* — ib. 30, 16—17: *et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem;* — An. VI 46, 17: *occides hunc tu, inquit, et te alius.* — Similiter ex uno enuntiato secundario in alterum, etsi utrumque ex alio pendet enuntiato primario, suppletur verbum finitum: An. II 40, 13—15: *percontanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur, quomodo tu Caesar.* I 74, 19: *quo, inquit, loco censebis, Caesar? si primus, habebo quod sequar: si post omnis, vereor ne imprudens dissentiam.* — 76, 11—12: *cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu conparationis* (abstinuisse trahebant).

Ex enuntiato secundario in dictionem appositionalem, quae vice enuntiati secundarii fungitur, suppletur verbum: H. I 36, 1: *haud dubiae iam in castris omnium mentes tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo*

ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent: suppletur post contenti infinitivus circumdedisse (aliter Heraeus; sed cf. Andresen, Jahresber. 1878; recte iudicavit J. Müller, Z. f d. ö. G. 1878 p. 442 s.).

Vice versa ex appositione in subsequens enuntiatum secundarium notio verbalis suppletur H. II 71, 5: *Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginae mancipatus emptusque.*

2. De enuntiatis quae non eadem condicione grammatica utuntur.

a) Verbum finitum ex enuntiato primario suppletur in enuntiatum secundarium:

α) verbum positum et verbum omissum eadem utuntur forma grammatica: An. III 27, 4 s.: *nam secutae leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen.. per vim latae sunt;* — VI 27 (33), 16: *quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et, qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.* — Creberrime haec dicendi forma adhibita est in enuntiatis comparativis, quae conformata sunt particulis correlativis ut-ita, quomodo-sic, sim. Sed tale quid tam cotidianum est, ut exempla huc pertinentia adscribere vix operae pretium videatur: cf. locos ut: H. I 84, 29: *nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur;* — 90, 10: *ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur;* — IV 64, 18: *quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.*

β) verbum omissum alia utitur forma atque verbum positum: — dial. 16, 32 s.: *Demosthenes videtur-non solum eodem anno quo nos, sed etiam eodem mense extitisse;* — Agr. 23, 2 – 3: *ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus;* — Germ. 36, 5/6: *ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur;* — H. I 37, 19: *nam quae alii scelera, hic remedia vocat;* — II 76, 8: *ego te, Vespasiane, ad imperium voco, quam salutare rei publi-*

cae, quam tibi magnificum (i. e.: ad quam · magnificum vocem), *iuxta deos in tua manu positum est* (cf. Müller, Beitr. I p. 53, — similis est locus: H. I 29, 10—13); — IV 26, 8/9: *quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira deum vocabatur;* — 84, 18—21; — V 26, 11/12; — An. I 80, 5/7; — III 6, 4—6; — IV 9, 6; — XIV 2, 11/12; — XVI 8, 1/2; — 22, 10—12; — 31, 7/8. Non omittendum est etiam hanc dicendi rationem persaepe a Tacito adhibitam esse in enuntiatis comparativis, quae coniuncta sunt inter se particulis correlativis ut-ita (sic), quomodo-ita (sic), simil. Singula tritae huius dicendi formae exempla sufficiant: Agr. 2, 10: *et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute;* — Germ. 41, 2/3: *quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar;* hisce locis collatis reicienda est coniectura quam Vahlen proposuit in commentationibus in honorem Mommseni conscriptis (1877); addi enim voluit loco illo dial. 7, 1 seq.: *equidem .. non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus .... praeturam accepi, quam eos, quibus mihi ... ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur* post quam eos verbum *ago* (cf. etiam Andresen, Jahresber. 1878; Wölfflin, Burs. Jahresber. 1879 II p. 226). — H. I 52, 7/9: *et ut* (add. Rhenan.) *Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena;* — III 77, 24: *nec virtutibus, ut boni, sed quomodo pessimus quisque, vitiis valebat.* (Non est enuntiatum correlativum; cf. simile exemplum: H. IV 64, 16: *liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim maioribus nostris);* — IV 42, 27: *et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur:* omissa est particula ita vel sic: cf. Heraeus ad Hist. III 77, 22; — IV 74, 9: *quomodo sterilitatem aut nimios imbres et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate;* — An. III 29, 13—14: *utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur.*

b) verbum finitum ex enuntiato secundario suppletur in enuntiatum primarium:

H. I 15, 25: *etiam si ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum.* — Huc pertinere locum varie tentatum voluit K. Fr. Hermann, Rh. Mus. 2 p. 588, Agr. 5, 3 – 5: *nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt* (sc. militiam in lasciviam vertit), *neque segniter ad voluptates et commeatus* (sc. militia conversa) *titulum tribunatus et inscitiam rettulit:* sed cf. supra p. 46. — H. V 13, 14/15: *arma cunctis qui ferre possent, et plures quam pro numero audebant* (sc. arma ferre); — An. XIII 15, 7: *ceteris diversa nec ruborem adlatura* (iussit): *ubi Britannico iussit exsurgeret* et q. s. (cf. § 6, 4). Huc non pertinet locus An. III 56, 6/7: *Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit* (cf. § 6, 2). — Hist. V 2, 11 seq.: *sunt qui tradant Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Suriae coluisse; clara alii* (tradunt) *Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolyma nomen e suo fecisse.*

c) verbum finitum suppletur ex uno in alterum enuntiatum secundarium; est autem membrum elliptice conformatum ei, ex quo verbum suppletur, subiunctum.

α) verbum omissum eadem utitur forma grammatica qua verbum positum: An. I 9, 3—4 (plerisque .. mirantibus), *quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater eius Octavius, vitam finivisset;* — XIV 28, 4: *statuendo, ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius ii, qui imperatorem appellarent.*

β) verbum omissum alia utitur forma grammatica atque verbum positum: — Germ. 2, 17: *Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint;* — H. I 29, 10/12: *sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri ... Caesar adscitus sum, quo domus nostrae aut rei publicae fato* (adscitus sim), *in vestra manu positum est* (cf. H. II 76, 8 s. et supra p. 102); — 88, 4: *multos .. Otho non participes aut ministros bello, sed comitum specie secum expediri iubet, in quis et L. Vitellium eodem, quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem* et q. s.

An. I 10, 20: *consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet, quae edito* sc. *partu rite nuberet:* sic emendavit Nipperdey codicis verba corrupta *nuberetque tedii et Vedii* et q. s.; Fr. A. Wolf voluit: *nuberet; Qu. Pedii et Vedii* (cf. ed. Halm.). — XI 4, 14/15: *cum idem, inquit, de admissis Poppaeae sentiam, quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes.* — Commemorandum est locum vexatissimum An. II 33, 14 seq. huc pertinere, si Nipperdei receperis emendationem: *distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut, qui locis ordinibus dignationibus, antistent et aliis, quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur,* et q. s. Codex exhibet: *sed ut locis ordinibus-antistent, talis quae* (cf. Nipp. opusc. p. 359; Wölfflin, Philol. 26 p. 101; Joh. Müller III p. 18 seq.; Andresen, Jahresber. 1875 p. 34; Clemm, Rh. Mus. XXXIII p. 318).

II. Similis notio antecedit vel sequitur.

a) de enuntiatis primariis inter se coordinatis:

An. I 10, 19 s. *nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet, quae edito* (sic Nipperdey); *Vedii Pollionis luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca:* suppletur ad nominativos incusabatur vel obiciebatur (cf. p. 81); — 61, 15: *referebant, hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas;* (monstrabant) *primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit* et q. s.; — 57, 17—20: *ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum, qui tum in deditionem veniebant, praedae data: simul Segestes ipse* (venit), *ingens visu et memoria bonae societatis inpavidus;* — H. I 29, 4/5: *simul ex tota urbe* (cf. p. 55) *ut quisque obvius fuerat alii formidine augentes, quidam minora vero* (referentes); — An. I 61, 11—12: *adiacebant fragmina telorum equorumque artus, simul* (aspiciebantur, in aspectu erant) *truncis arborum antefixa ora;* — IV 69, 9—10: *praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia ac novos terrores cumulat. Eadem ille et* (tanto) *diutius* (sc. dicit, vel facit), *quanto maesta .. difficilius reticentur.* — Nipperdey

locum An. XIV 63, 9 seq. ad hanc dicendi rationem rettulit; verba sunt: *huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre; tum ancilla domina validior et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio gravius.* Nipperdey ad nominativos ancilla, Poppaea, crimen intellegit patienda fuerunt ex huic (loco funeris?) fuit; artificiosissime; suppleas erat; ipsa narratione malorum illòrum indicatur satis, ea ab Octavia esse perlàta; inducimur enim quasi in Octaviae cogitationes (cf. supra p. 86 seq.).

Tacitus haud raro ea, quae modo singulis enuntiatis descripsit, cuncta comprehendit uno enuntiato ita, ut verbum finitum sensu generali supplendum relinqueret.

H. I 36, 11/13: *nec deerat Otho protendens manus adorare volgum, iacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione;* — simillimus est locus An. XIII 14, 17—19: *simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare et tot inrita facinora* (cf. infra § 7, 2); — his locis explicatur etiam: An. XIV 33, 15 - 18: *neque enim capere aut venundare aliudve* (agere), *quod belli commercium, sed caedes patibula ignes cruces, tanquam redditur i supplicium ac praerepta interim ultione, festinabant.* Non opus est ad hunc locum interpretandum zeugmate Draegeriano. H. I 52, 3—4: *redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae: plura ambitione, quaedam iudicio* (fecit vel facta sunt), *in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat;* — III 9, 8: *sed Caecina-prodidit tempora belli .., interim Aponius .. cum legione .. advenit ..; has ad copias .. misit epistulas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans; simul — virtus exercitus laudibus attollebatur . . .: nihil prorsus* (egit), *quod aut corrumperet hostem aut terreret;* — IV 50, 15: *sed Pisonis satellitem vocabat, militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit: neutrum ex merito* (fecit), *sed ut oppressisse bellum crederetur.* — An. IV 34, 8—11: *verba mea .. arguuntur: adeo factorum innocens sum. Sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur:*

Brutum et Cassium laudavisse dicor et q. s.; — VI 10 (16), 1—4: *ne feminae quidem exsortes periculi. Quia occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur; necataque est anus Vitia .., quod filii necem flevisset: haec apud senatum; nec secus* et q. s.; cf. Greef, *de praepositionum usu apud Tac.*, p. 37.

Loco An. IV 12, 11 (cf. p. 48 seq.): *igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam .. arguerent: atque haec callidis criminatoribus* adducimur, ut etiam locos hosce hic collocemus: H. III 63, 1—2: *abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, idque non sine decore, sed sub signis vexillisque, in subiectos Narniae campos descendere* (cf. p. 48); — An. VI 48 (54), 19 seq.: *stuprorum eius ministri Carsidius Sacerdos praetorius, ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur: id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur* et q. s.

Tacitum hac ratione ex enuntiato secundario in coordinatum aliud enuntiatum secundarium verbum finitum supplendum reliquisse ne uno quidem probari potest exemplo. Nipperdey huc pertinere vult locum An. XIII 25, 1—6: cod. *Qu. Volusio P. Scipione consulibus otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera urbis et lupanaria et deverticula-pererrabat, comitantibus, qui raperent venditioni exposita et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret.* Draeger sibi satisfecisse visus explicatione adverbium adeo positum in anastropha iuveniri etiam in cap. 35 et apud Val. Max. 9, 3 ext. 3 et apud poëtas, veram difficultatem in medio reliquit. Nipperdey suppleri iubet ad verba *adversus ignaros adeo* ex antecedentibus praedicatis haecque facerent. Sed omnibus locis, quibus tale quid suppletur, omissio verbi generalis excusatur eo, quod aut proprium antecedentia complectentem accusativum obiecti (cf. H. I 52, 3/4: *plura-quaedam*, — III 9, 19: *nihil* — IV 50, 17: *neutrum*) aut etiam praeter talem accusativum particulam copulativam vi epexegetica praeditam addidit Tacitus in enuntiato elliptico; quae cum res non ita sit nostro loco reicienda est

Nipperdei explicatio, praesertim cum verba *adversus ignaros adeo* tam arte cum antecedentibus coniuncta sint, ut legentibus nobis, nisi violentius diutiusque haesitamus, vix satis temporis relinquatur, quo verbum a Nipperdeio desideratum suppleamus. Nec ex analogia eorum locorum, quos supra tractavimus (p. 49): H. III 33, 10: *faces in manibus* et IV 35, 5/9: *arma in vehiculis,* quae verba quasi appositionaliter antecedentibus adiuncta sunt, nec ex analogia verae appositionis, qualis extat H II 14, 9/10: *quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii, nondum sub signis* res nostro loco expediri posse videtur. Praeterea monendum est sensum non quadrare, si verba codicis retinentur; debent enim ad id referri, quod enuntiato finali, quod antecedit, *qui-inferrent,* describitur; itaque, cum egerunt durius suppleretur, non nisi facerent intellegi potest. Sed illinc comitati sunt ideo Neronem, ut ea agerent, quibus in perficiendis Nero vulneraretur? Nihil reliquum video quam ut addamus ante adversus vocem idque; interpungas velim: .. *pererrabat, comitantibus, qui .... inferrent: idque* (sc. egere vel actum est, i. e. illud *vulnera inferre) adversus ignaros adeo* et q. s.

Vice versa enuntiatum generalius sequuntur epexegetice enuntiata angustiore sensu posita, ita quidem, ut in his ex illo suppleatur verbum finitum: H. I 19, 2: *et patrum favor aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medii ac plurimi obvio obsequio;* — 41, 7: *extremam eius vocem .. varie prodidere: alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset, et paucos dies exsolvendo donativo deprecatum: plures* (narrant) *obtulisse ultro percussoribus iugulum* et q. s.; — cf. locos similes An. I 76, 12 seq.; — 80, 4 seq.; — 9, 8 seq.: *at apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi* (dicebant) *pietate erga parentem .. ad arma civilia actum* et q. s. (cf. cap. 10, 1: *dicebatur contra);* — H. II 27, 1 seq.: *haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quam ad modestiam composuit: nec solum apud Caecinam* (id factum est), *qui culpam in militem conferebat ...: Fabii quoque Valentis copiae ... reverentius et aequalius duci parebant;* — IV 76, 1 seq.: *apud Germanos diversis sententiis certabatur: Civilis* (censuit) *opperiendas Transrhenanorum*

gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires optererentur et q. s.; *Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat* (cf. locum plene conformatum An. I 29, 7—10 et H. IV 62, 4—9); — H. V. 16, 5 seq.: *exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur: Cerialis* (memorabat) *veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias* et q. s. (cf. cap. 17, 1: *nec Civilis silens* et q. s.).

Quibus locis comparatis nemo dubitabit, quin huc trahendus sit locus H. V 2, 5 seq.: *argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta-montem* (dicunt), *accolas .. Iudaeos vocitari; quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem .. proximas in terras exoneratam; plerique Aethiopum prolem, quos .. metus atque odium mutare sedes perpulerit.* Haud raro Tacitus in enuntiatis comparativis a formulis nec aliud quam, quid aliud quam, neque aliud nisi, quid aliud nisi, nec amplius quam verbum generali sensu praeditum reliquit nobis supplendum ex membro relativo in membrum primarium: An. XV, 13, 5: *nec aliud* (agebant), *quam munimenta propugnabant* cf. exempla in lexico Taciteo a Gerbero et Greefio p. 66 et 75 accuratissime collecta. Dictionem non ultra quam deprehendi brachylogice adhibitam: H. II 91, 13: *commotus primo Vitellius, non tamen ultra* (fecit) *quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit.*

b) de enuntiatis secundariis:

α) verbum finitum generalius ex enuntiati primarii praedicato sumitur: H. I 89, 11: *tum legiones classesque et quod raro alias praetorianus urbanusque miles in aciem deducti;* — An. XVI 19, 10: *ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est* (cf. Haase, *Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft* I p. 208).

Haud raro similiter verbum finitum omittitur in subiunctis enuntiatis comparativis, quae composita sunt ex comparativo adverbialiter posito, quem sequitur particula quam, et dictione praepositionali, quae quodammodo recta est verbo finito enuntiati primarii: H. I 22, 2: *et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo* (fieri debuit) *habiti;* —

H. III 40, 2: (Valens) .. *segnius quam ad bellum* (fieri debuit) *incedens;* — 53, 4: *literas ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem;* — An. III 74, 16: *fratre eius capto regressus est, properantius tamen, quam ex utilitate sociorum;* — XV 1, 9: *Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat;* — Germ. 45, 12: *frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant;* — H. IV 33, 15: *hostis a tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt;* — V 13, 15; — 15, 9; An. XII 21, 2.

Semel loco dictionis praepositionalis positus est ablativus absolutus: H. III 7, 5: *adductius quam civili bello imperitabat.*

Similiter, quod iam fecit Livius (cf. Wölfflin, Burs. Jahresb. 1875 II p. 757), brachylogice adhibita est particula ut a Tacito. Si consideraveris locos H. I 39, 3 s.: *iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium rediret, alii Capitolium peteret, plerique rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contra dicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat* et An. XIII 44, 13: *tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia preces* et q. s., non dubitabis, quin agatur de brachylogia quadam eiusdem generis, quod supra depinximus, hisce locis:

a) particulam ut sequitur dictio praepositionalis:

in cum ablativo: Germ. 2, 14: *quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos — — affirmant;* — 44, 10; Agr. 18, 19; H. I 34, 6; — 55, 16; — 77, 3; - 90, 17/18; — II 34, 1; — III 59, 5; — 71, 15; — 83, 1; — IV 33, 6; — An. I 65, 13; — XIII 35, 21; — XVI 16, 9. Fortasse cum Hofman-Peerlcampio ut in textum recipiendum est: Agr. 16, 5: *nec ullum* (ut) *in barbaris saevitiae genus omisit.*

inter: Germ. 22, 6: *crebrae, ut inter virolentos, rixae .. transiguntur;* — 30, 6; — Agr. 11, 2. In historiis et annalibus Tacitus hoc dicendi genus non adhibuit; itaque improbanda est Lipsii emendatio ab Andreseno, Jahresber. 1876 p. 78 l. 4 commendata loci An. XI 17, 9: *et magno inter barbaros proelio,* qua ante inter inseratur ut voluit. — Locus plane corruptus est An. XIII 26, 6, quo codex exhibet male *ut inter paucos* et q. s.

apud: Germ. 44, 13: *nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promisco* et q. s.; — An. II 45, 7: *deriguntur acies pari utrimque spe nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas;* — XIII 57, 7.

erga: H. I 4, 10: *sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem.*

ex: An. II 82, 2: *cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur.* — Insolentius dativus positus est pro dictione a cum ablativo: G. 45, 15: *nec quae natura quaeve ratio gignat* (ab iis), *ut* (a) *barbaris, quaesitum compertumve.*

(NB: Conferas locos similes, sed plene conformatos: Dial. 40, 5; — H. III 48, 9; — 86, 17; — IV 6, 9; — 37, 3; — 70, 12; — 83, 18; — An. I 28, 8; — 41, 14; — (IV 54, 7); — ib. 68, 16; — XI 8, 8; — XIII 3, 8; — 16, 12; — XIV 14, 11; — XV 42, 13; — 46, 4; — 64, 4; — XVI 29, 1.)

b) particulam ut sequitur ablativus absolutus:

Plene conformati sunt loci: H. I 31, 1: *Dilapsis speculatoribus cetera cohors non aspernata contionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio rapit signa* et q. s., et ib. 81, 5: *utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus* ex quibus iudicandum est de locis: Dial. 1, 10: *si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset;* — H. III 33, 13: *utque exercitu vario linguis moribus, .. diversae cupidines* et q. s.; — An. IV 62, 14: *et illi quidem, quos principium stragis in mortem afflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere* (cf. Nipp.). — VI 35 (41), 3 seq.: *variae hinc bellantium species, cum Parthus ... distraheret turmas, spatium ictibus quaereret, Sarmatae ... contis gladiisque ruerent; modo equestris proelii more frontis et tergi vices* (sc. essent), *aliquando ut conserta acie corporibus et pulsu armorum pellerent pellerentur.* — Commemorari debet, loco An. IV 20, 8 seq.: *hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior* particulam ut ante temporibus insertam esse a C. F. W. Müllero (cf. Halm. ann. crit.): sed opus non est hac emendatione.

Praeterea particula ut extat in formulis **ut adsolet:** H. II 6, 1 s.: *sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus prae-*

dey ad singulos locos adnotavit, quaeque de zeugmate quod dicitur peculiariter C. L. Roth, Agr. p. 272 seq. haud satis caute accurateque composuit. Quae dedit Draeger praecepta in libelli illius §§ 219, 230, 239, 4 plane non sufficiunt. — In universum denique hoc praemittendum videtur, zeugma quod dicitur non adhibitum esse nisi in unius eiusdemque periodi membris artissime inter se coniunctis, quorum unum alteri non subiunctum, sed aut particulis correlativis aut copulativis aut adversativis aut disiunctivis adiunctum est. Ut exemplo hoc probem, si verbum enuntiati primarii in subiunctum ei enuntiatum relativum suppleri debet: cf. An. VI 27: *et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere,* nemo est qui cogitet de zeugmate, etiam si in enuntiatum relativum verbum finitum alia significatione suppleretur. Praeterea zeugma non extat, ubi enuntiata primaria artius inter se coniuncta non sunt: An. I 57, 17: *ferebantur et spolia ..; simul ipse Segestes* (venit cf. p. 105).

§ 6.

Verbum finitum, quod eadem significatione ad singula enuntiati compositi pertinet membra, semel tantum eoque modo a Tacito positum est, ut aut in initio primi membri aut in fine membri ultimi aut in fine primi aut in initio unius ceterorum membrorum locum habeat.

Haec dicendi formae nomine figura ἀπὸ κοινοῦ comprehenduntur (cf. Koldewey, Zeitschr. f. Gymn.-Wes. 1877 p. 337).

1. Positum est verbum in initio primi membri.

Usitatissima est haec dicendi forma: cf. dial. 31, 35 – 37: *incidunt;* Germ. 2, 9—11: *celebrant;* — Agr. 33, 16: *dabitur;* — 45, 1: *non vidit;* – H. I 2, 19: *corrupti;* – 26, 1: *infecit;* — 83, 10: *postulaturus;* — 88, 1; — II 99, 9, seq. Haec sufficiant. Insolentius verbum commune ita collocatum est

a) propter membrorum coniunctionem asyndeticam: H. I 29, 1—3: *ignarus interim Galba .. fatigabat .. deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui .raperetur;* — An. I 78, 4: *.. deprecante populo edixit*

Tiberius militare aerarium eo subsidio niti, simul imparem oneri rem publicam, nisi vicensimo militiae anno veterani dimitterentur; — II 2, 10/13: *accendebat dedignantes et ipse diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine fastuque erga patrias epulas;* — XIII 56, 7: *addidit, deesse nobis terra in vitam, in qua moriamur, non potest.*

b) propter mutatam structuram: — An. I 15, 9: *sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur;* - IV 16, 18: *decretum Corneliae virgini .. sestertium viciens et .. ut sedes inter Vestalium consideret;* — XIV 59, 19: *decretae eo nomine supplicationes utque Sulla et Plautus senatu moverentur.* (cf. etiam ib. 12, 1 seq.); — II 36, 2: *censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati .. iam tum praetores destinarentur* et q. s.; -- 5, 5 seq.: *tractare proeliorum vias et quae sibi .. saeva vel prospera evenissent;* — III 22, 3: *adiciebantur adulteria venena quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris;* — 63, 2 seq.: *consulibus permisere, ut perspecto iure et, si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent;* — IV 33, 5: *noscenda vulgi natura et, quibus modis temperanter haberetur* et q. s.; — XIV 33, 4: *circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coërcitam:* collato loco XIV 35, 12: *si copias armatorum, si causas belli secum expenderent* et q. s. opus non est zeugmate Nipperdei et Draegeri; circumspicere enim significare potest erwägen: cf. H. II 6, 14. — XV 1, 1 seq.: *interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis rebus regemque alienigenam Tigranen Armeniae impositum* (sc. esse). — Notabilis est locus An. II 57, 4 seq.: *Cyrri demum apud hiberna decumae legionis convenere: firmato vultu Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur* (cf. H. II 7, 7: *igitur arma in occasionem distulere: Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis).*

Huc trahere liceat quattuor locos, quibus κοινὸν in medio periodi totius membro primo extat: An. XIV 27, 8 seq.: *non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et*

centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis et q. s.; — H. II 98, 10: *mare quoque etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.* Ex analogia locorum An. III 63, 3; — IV 33, 5; — H. II 7, 7 explicanda sunt exempla: An. IV 18, 2: *amicitia Germanici perniciosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator* et q. s.; — 34, 5: *id perniciabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens.* — De loco H. II 34, 5 s. *inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret* cf. infra p. 129.

2. verbum finitum positum est in fine membri ultimi:

Trita sunt haec: Germ. 1, 1—3; — 2, 12—14; 20—22; — H. II 7, 8; — III 77, 24—25; — IV 84, 18 seq.; An. II 13, 4 seq.; — III 44, 1—2; — IV 55, 22 seq.; — XI 24, 9—11; — VI 4, 8—10; — XV 41, 3—4 *(sacraverat).*

Audacius conformata sunt haecce exempla

a) propter asyndeton summativum, cuius priora membra aliqua ex parte particulis correlativis coniuncta sunt; quo accedit quod verbum commune mutata forma ad singula membra referri debet: An. III 44, 1—4: *at Romae non Treveros modo et Aeduos, sed quattuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse, adsumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos famae, in maius credita.* Ad accusativos c. inf. suppletur creditum est. An. I 10, 5/8: *mox ubi .. ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse;* — IV 38, 15/16: *quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur;* al.

Asyndeton adversativum extat: H. I 29, 13 s. *non* (doleo) *quia meo nomine tristiorem casum paveam ..: patris et senatus et ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est aut .. occidere* cf. infra p. 122 H. I 83, 8/10; — paullo aliter: An. XIV 29, 14—16: *sic pedes: equites vado secuti aut altiores inter*

undas adnantes equis tramisere. — Asyndetica singulorum membrorum coniunctio mitigatur pronomine relativo, quod extat in initio membri ultimi solvique debet vocibus et eo hoc uno quod sciam loco: An. III 56, 6: *Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit*.

b) propter mutatam structuram haud raro alia forma ad unum membrum, alia ad alterum quadrat verbum commune: An. XII 38, 2—4: *neque minus id clarum quam quod Syphacem P. Scipio, Persen L. Paulus et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere*; — H. III 8, 8—10: *et interiectus exercitus Raetiam Iuliasque Alpes ac, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsaepserat* (cf. H. II 34, 5: p. 116). Sed artificiosior est huius loci explicatio; melius fortasse ages, si deles voculam ac (cf. p. 126 s.); — I 39, 3 seq.: *iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium rediret, alii Capitolium peteret, plerique rostra occupanda censerent*; — An. I 14, 1 seq.: *alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur Iuliae filius censebant*; — IV 20, 5 seq.: *Sosia in exilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur censuerat*; — XIII 8, 1 seq.: *sed apud senatum omnia in maius celebrata sunt sententiis eorum, qui supplicationes et diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiemque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere*; — II 32, 6—9: *dona Iovi, Marti, Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. Piso et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere*; — VI 48 (54), 19 seq.: *stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur*; — XIII 41, 19 seq.: *statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies, ... aliaque in eandem formam decernuntur*; — VI 31 (37), 9 seq.: *simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa primum Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam et minas iaciebat*; — 34 (40), 14 seq.: *cla-*

ritudinem Arsacidarum contraque ignobilem Hiberum, mercennario milite disserebat. — Alius quidem generis sunt, sed tamen huc pertinent. — H. I 16, 28 seq.: *et Galba quidem haec ac talia, tanquam principem faceret, ceteri tanquam cum facto loquebantur;* An. II 43, 1 seq.: *igitur haec et de Armeniis quae supra memoravimus apud patres disseruit.* — Haec hactenus.

c) quia cum verbo finito, quod in fine membri ultimi positum est, alia notio tam arte coniunctum est, ut unam fere efficiatur notio; ad cetera autem membra solum verbum pertinet: An. I 39, 2—3: *duae ibi legiones, prima atque vicensima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant* (cf. Nipp.); IV 64, 7: *quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat;* — VI 7, 17: *perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti* (cf. Nipp.) Haec exempla quasi transitum faciunt ad duos locos, quos ad contractionem quandam rettulit Wichert, *Über Ergänzung elliptischer Satzteile aus korrespondierenden im Lateinischen*, Guben 1861 p. 9 (cf. epitomen huius commentationis apud Draegerum, h. Synt. I p. 185, Kühnerum, gramm. II p. 1046). Quaeritur autem, utrum iis locis, quibus verbum affirmativum ex posito verbo negativo intellegitur, sit omissio an zeugma an figura ἀπὸ κοινοῦ. Creberrime ex negativo verbo, si in priore membro enuntiati adversativi extat, verbum affirmativum in alterum membrum suppletur: Cic. de nat. deor. I 7, 17: [illegible]

[illegible]

ditorem. Collatis praetera locis ut Liv. III 37, 2: *avide ruendo ad libertatem in servitutem elapsos iuvare nolle, cumulari* (cf. Madv. em. Liv. ad h. l.) *quoque iniurias* (sc. velle), quod dictum est pro *non iuvare, cumulari quoque velle* statim intellegimus agi de ea dicendi ratione, quae dicitur figura ἀπὸ κοινοῦ. Hanc analogiam sequi videntur, quod iam Wichert suspicatus est, etiam loci illi Tacitei An. XII 64, 20: *quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*, et XIII 56, 7/8: *deesse nobis terra in vitam, in qua moriamur, non potest* (cf. illud Schillerianum: *Vor dem Sklaven, wenn er die Kette bricht, vor dem freien Menschen erzittre nicht)*. Nec dissimiliter explicari debet locus Germ. 4, 7—9: *minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove adsuerunt*. Praeterea collatis locis H. III 47, 10—12: *mox donati civitate Romana signa armaque in nostrum modum* (tenebant), *desidiam licentiamque Graecorum retinebant;* — An. XV 11, 7/8: *peditum si quis integer longinqua et avia* (petivit), *vulnerati castra repetivere* adducimur ut alium etiam locum varie explicatum huc referamus: H. I 51, 3—5: *ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia* *malebat*. Nec zeugmate, quo ex malebat verbum cupiebat suppleatur neque asyndeto explicativo (cf. Müller I p. 10 ann. 1: *wollte lieber einen Feldzug und eine Schlacht, d. h. den* [damit verbundenen] *Gewinn, als Friedenssold*), nec acutissima emendatione Bezzenbergeri, quam, etsi exemplis probatum non est adiectivum ferax ita adhibitum esse sensu translato (cf. Wölfflin, Burs. Jahresber. 1879 II p. 248), tamen Heraeus nuper recepit, expeditionum feracium opus est; dicta sunt illa verba pro *expeditionem et aciem* (volebat), *praemia quam stipendia malebat*.

3. positum est verbum in fine primi membri:

Cotidiana sunt haec exempla: G. 2, 1/2 *(crediderim);* — 4, 7/9 *(tolerare);* — H. I 16, 27—28; — III 20, 2 seq.; — An. I 29, 8—10; — II 32, 2—4; al.

Artis aliquantum habent hice loci propter structuram variatam: An. III 17, 19: *nomen Pisonis eradendum fastis censuit, partem bonorum publicandam, pars ut Cn. Pisoni filio con-*

cederetur isque praenomen mutaret; — XV 23, 8: *certamen ad exemplar Actiacae religionis* *decretum*, *utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur, ludicrum circense ... apud Antium ederetur;* — 74, 1: *Tum (decreta:* del. J. F. Gronovius: cf. ann. crit. Halm. et Andresen, Jahresber. 1876 p. 71) *dona et grates deis* *decernuntur*, *propriusque honos Soli ..., utque circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti exstrueretur* et q. s.; cf. etiam An. II 83, 1 seq.; — XVI 9, 1: *tunc consulto senatus Cassio et Silano exilia* *decernuntur*: *de Lepida Caesar statueret.* Notabilis locus est An. I 68, 2: *Arminio sinerent egredi egressosque .. circumvenirent* *suadente*, *atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent.* — Praeterea huc pertinent: II 43, 1 seq.: *igitur haec et de Armenia quae supra memoravi* *disseruit* *nec posse motum orientem nisi Germanici sapientia componi;* — VI 22, 3 seq.: *quippe sapientissimos veterum quique sectam eorum aemulantur diversos* *reperias*, *ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae.* — Participia ἀπὸ κοινοῦ posita extant: H. III 66, 4: *discrimen ac dedecus* *ostentantes* *et fidem in libidine victoris;* — IV 69, 1: *at Iulius Auspex .. vim Romanam pacisque bona* *dissertans*, *et sumi bellum etiam ab ignavis;* — An. II 58, 2: *miserat amicitiam ac foedus* *memoraturos*, *et cupere renovari dextras;* — XIII 19, 11: *illa .. parat accusatores ... non vetera et saepius iam audita* *deferens*, *quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam, Rubellium Plautum .. ad res novas extollere* et q. s.; — XIV 59, 16: *sed ad senatum literas misit de caede Sullae Plautique haud* *confessus*, *verum utriusque turbidum ingenium esse* et q. s.; — XV 67, 1 seq.: *mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad* *defensionem trahens*, *neque se armatum ... tantum facinus consocioturum.* Locum participii tenet adiectivum An. XI 29, 6: *prioris quoque regiae* *peritus* *et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi.* — Collato loco An. XIII 3, 3 seq.: *liberalium quoque artium* *commemoratio* *et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita* sc. *est* (et

genetivus et accusativus c. inf. pendet ex substantivo commemoratio), huc referimus etiam H. V 20, 6/7: *nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam adfore* neque cum Heraeo subitum in orationem obliquam transitum media in rerum narratione factum deprehendimus, praesertim cum exempla, quibus nititur editor ille optime de Tacito meritus, nihil ad nostrum locum explicandum proficiant (de fiducia c. acc. c. inf. cf. supra p. 93 seq.). — Non aliter explicandi sunt loci propter accedentem formae grammaticae vicissitudinem notabiles: H. III 54, 13/14: *perpulit ut ad vires hostium spectandas quaeque apud Cremonam acta forent mitteretur;* — II 76, 6—8: *simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et, si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur.* — De falsa loci H. I 32, 6—8 quam protulit Heraeus explicatione supra iam p. 47 egimus; est enim exemplum huius de quo agimus dicendi generis; conferas velim: An. XV 55, 11: *pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia* et q. s. — In fine membri secundi verbum inveni positum uno loco: An. III 63, 7 seq.: *nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis .., Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint propiora Sardianos* et q. s.

4. positum est verbum finitum in enuntiatis quae particulis coniunguntur post ipsam particulam, quae asyndetice, post primam notionem vel dictionem, i. e. in initio membri secundi vel tertii vel quarti et q. s.

Nauck ad Hor. Carm. II 13, 28 adscripsit Goethianum illud (Faust zu Wagner) pulcherrimum huius dicendi rationis exemplum:

Ja wäre nur ein Zaubermantel mein
Und trüg' er mich in fremde Länder,
Mir sollt' er um die köstlichsten Gewänder,
Nicht feil um einen Königsmantel sein!

Est vero haec dicendi forma poëtis solis Latinis usitata nec ullum adhuc inveni exemplum, quo probetur etiam scriptores pedestres ante Tacitum hanc verbi collocationem ad-

hibuisse. Nam quae Koldewey, qui bene de figurae *ἀπὸ κοινοῦ* dictae apud Catullum Tibullum Propertium Horatium usu disseruit (Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes. 1877 p. 337 seq.), pag. 337 ex prosaicis collegit non nisi ad talem **nominum** collocationem spectant. Eoque magis digni sunt, qui colligantur, ii loci, quibus poëtica illa verbi finiti collocatione usus est Tacitus. Invenimus haecce admodum pauca:

1. particulis coniuncta sunt singula periodi membra:

et: H. V 1, 9/10: *addidit e Suria duodecumam et adductos Alexandria duoetvicensimanos tertianosque.* Supra iam p. 53 seq. egimus de loco An. XII 22, quem, nisi vera esset prolata illic explicatio, melius quam eum Draeger interpretatus est explicares ex analogia loci modo adscripti H. V 1, 9/10.

ac: An. I 35, 4 seq.: *mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli materiae lignorum adgestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur.*

sed: H. I 83, 8—10: *neque ut adfectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer .., sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis* (cf. H. I 29, 13—16 p. 116). — An. VI 29 (35), 15/16: *nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium.* — Similiter in medio alterius membri contextu extat verbum H. V 6, 24/25: *sic veteres auctores, sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus.*

Nipperdey non recte huc rettulit locum Ann. II 60, 5—8: *inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent eosque qui postea pari virtute fuerint in cognomentum eius adscitos; mox visit veterum Thebarum magna vestigia* et q. s. Interpositis enim enuntiatis membra unum alteri respondentia vehementius secernuntur, quam ut de sola contractione cogitari possit (cf. p. 97). — Neque alius locus, quem Nipperdey huc spectare voluit, ut quo singula membra particulis utrum-an inter se coniuncta essent, ita potest explicari: An. IV 20, 12 s.: *unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio*

in illos, an sit aliquid in nostris consiliis? et q. s.; nam sit alia significatione ad membrum, in quo positum est, quam ad cetera referendum est. Hoc vero caderet in id dicendi genus, quod supra zeugma plerumque vocari docuimus, nisi praestaret, omissionem coniunctivi sit intellegere (cf. Nipp. ad An. I 7).

2. asyndetice coniuncta sunt singula membra: An. XIII 46, 4—6: *saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris, se quidem ire ad illam, sibi concessam clamitans nobilitatem pulchritudinem vota omnium et gaudia felicium.* Similis est locus: H. I 41, 12—14: *de percussore non satis constat; quidam Terentium evocatum, alii Lecanium, crebrior fama tradidit Camurium quintae decumae legionis militem impressa gladio iugulum eius hausisse.* Cavendum est ne hoc loco commotus quis huc referat locos ut H. V 2, 7—15; An. I 80, 5 (cf. p. 104 et 103); in eundem enim errorem incideret, quem apud Nipperdeium in loco An. II 60, 5—8 explicando denotavimus (cf. p. 122).

Restat ut de uno loco a viris doctis (Nipp. Wich. p. 10 Draeg.) huc relato disseramus. Legitur enim An. XIII 15, 6—7: *igitur ceteris diversa nec ruborem adlatura: ubi Britannico iussit, exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet..., ille constanter exorsus est carmen* et q. s. Una gravissima ut videtur causa vetamur verbum iussit per figuram ἀπὸ κοινοῦ ad antecedentia referre: nullum enim invenitur exemplum, quo probetur tale quid fieri potuisse, ubi singula non coordinata, sed ita coniuncta sunt, ut ad enuntiatum primarium verbum commune ex enuntiato secundario repetatur. Locus autem qui in auxilium vocari solet, plane non quadrat: An. III 56, 6: *Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret:* huius enim periodi membra pronomine quo i. e. et eo coordinata inter se esse iam supra p. 117 demonstravimus. Itaque locum nostrum exemplum esse volumus eius dicendi generis, quo verbum finitum omitti potest in enuntiato quopiam primario, si idem verbum positum est in enuntiato subsequente secundario (cf. p. 103 s.), etiam si ad aliam pertinet periodum.

§ 7.

Verbum finitum in periodo ex compluribus membris composita ita est adhibitum, ut aut ipsum alia significatione quam qua ad proprium suum membrum pertinet ad cetera referatur, aut plane novum, sed cognatum significatione verbum ex eo intellegatur in ceteris membris.

Formae huius dicendi generis comprehendi solent nomine zeugmatis.

Est vero hoc breviloquentiae genus, quod vix alius scriptor Romanus maiore adhibuit audacia quam Tacitus. Cum autem maxima ex parte id nitatur affinitate quadam significationis, qua verbum positum cum verbo supplendo coniunctum est, apparet totam rem iudicandam esse ex ratione, quae intercedit inter significationem verbi positi et verbi supplendi. — Tres has formas invenimus apud Tacitum:

1. Idem verbum alia significatione ad unum alia ad alterum enuntiati membrum pertinet:

H. I 4, 7—9: (finis Neronis) *varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat* (i. e. accenderat; ad prius membrum refertur significatione excitaverat); Heraeus repetit praepositionem apud ante omnes: sed cf. Greef l. l. p. 11—12. Similiter legitur — III 41, 17/18: (atrox consilium iniit, ut) *Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret* i. e. excitaret, ad antecedentia relatum significat accenderet (cf. lex Tac.). — I 35, 1 seq.: *tum vero non populus tantum et inperita plebs in plausus et inmodica studia* (ruere: i. e. feruntur inviti: cf. An. I 7, 1; — XIII 14, 8), *sed equitum plerique ac senatorum ... refractis Palatii foribus ruere intus* (cf. J. Müller, Zeitschr. f. ö. G. 1878 p. 442 seq.); — II 70, 16/17: *et erant quos varia sors rerum* (subiret: i. e. in mentem veniret, occurreret: cf. H. III 31, 19) *lacrimaeque et misericordia subiret* (cf. Heraeus); — 87, 14/15: *nec coloniae modo aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores* (vastabantur = brandschatzen: cf. H. II 16, 15; Agr. 22, 2; An.

XIV 23, 15 al. cf. Her.) *arvaque maturis iam frugibus ut hostile solum vastabantur;* — 93, 3—5: *per inlecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio* (imminuebant: i. e.: emolliebant, enervabant: cf. Her.), *animum libidinibus imminuebant;* — 18, 1—3: *certum erat Spurinnae.. necdum venisse Caecinam et* (certum erat: i. e. certus erat consilii) *si propinquaret coercere intra munimenta militem:* cf. Halm, Beitr. p. 8 et lex. Tacit. p. 165); — IV 8, 8—9: *voltus quoque ac sermones circumspectabat* cf. An. XIV 6, 1 seq. (cf. p. 73); — 33, 4—6; — IV 14, 13/14: *neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia haberi:* ad prius membrum refertur haberi significatione handhaben, einhalten: (cf. Müller, Z. f. ö. Gymn. 26 p. 645 seq. ad loc. Ann. XIV 40, 8/9). Similiter conformati sunt loci: An. II 44, 8: *set Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat* (cf. Nipp.); — H. I 37, 25: *subiectos nos habuit tanquam suos et viles ut alienos;* — An. XII 53, 2 4: *statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur;* — VI 20 (26), 13: *cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit;* — 30 (36), 14: *neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum* (cf. Halm, Beitr. p. 8; Greef l. l. p. 34/35; Nipp. ad An. I 73; II 44, 47). — H. V 16, 11—12: *superesse qui fugam animis, qui volnera tergo ferant* (de pluralis animis et singularis tergo vicissitudine cf. Haase, *Vorlesungen über latein. Sprachwiss.* I p. 143); — similiter: An. I 20, 8 (sarcinis gravant Aufidienum Rufum): *rogitantes an tam immensa onera* (libenter ferret, i. e. portaret) *tam longa itinera libenter ferret;* — H. V 25, 9: *sibi non tributa* (indici: accedit ad notionem imponendi), *sed virtutem et viros indici* (i. e. imperari: accedit ad notionem ex se postulari); — similiter: An. I 26, 13: *quotiens supplicia aut proelia indicantur* (cf. etiam An. IV 46, 12; XII 65, 4). — An. I 41, 13/14: *orant obsistunt, rediret maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi* (cf. Nipp.): verbum ad verba *pars-occursantes* refertur propria sua significatione, ad verba *plurimi-regressi* significatione generali Widerstand leisten, non parere. — I 71, 10: *vulnera intuens*

alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibique (firmabat: i. e. conciliabat, magis adiungebat) *et proelio firmabat* (i. e. eorum animum firmabat); — II 29, 6/7: *et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens* (cf. Nipp.); — similiter: III 36, 4/5: *cum voces, cum manus intentarent;* et XII 47, 14: *probra ac verbera intentabat;* — II 87, 5/6: *qui divinas occupationes* (dixerant: i. e. locuti erant im Munde führen, von etwas reden) *ipsumque dominum dixerant* (i. e. vocaverant), (cf. An. I 13, 7; IV 34, 4 et q. s.); — III 54, 20/21: *ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis* (subvenerint: i. e. dem fehlenden Bedarf abhelfen) *et agris subvenerint* (i. e.: der fehlenden Leistung abhelfen: Nipperdey); — IV 26, 4/5: *quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat:* proprio sensu quadrat deportarat ad captivos et famam, translato ad caedem ducis; — XIV 17, 4/5: *quippe oppidana lascivia in vicem incessentes probra* (sumpsere i. e. prompsere), *dein saxa, postremo ferrum sumpsere;* — 20, 13/14: *gymnasia* (exercendo i. e. frequentando) *et otia et turpes amores exercendo;* — 21, 4: *eoque a Tuscis accitos histriones a Thuriis equorum certamina* (accita: i. e. ad histriones pertinet sensu proprio, ad certamina sensu translato: cf. lex. Tac. p. 17).

Loci dubii: H. III 8, 8—10: *et interiectus exercitus Raetiam Iuliasque Alpes ac, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsaepserat.*

Heraeus codicis vestigia secutus *(praetiam)* scripsit *int. exercitus iter per Raetiam* et q. s.; qua correctura ne necessaria quidem difficultatem illam, quae inest in eo, quod enuntiatum finale particula ac antecedentibus adnectitur, minime sustulit. Particulam ac, quam epexegetice positam esse sibi finxit, defendere studuit zeugmatis quodam genere, quo ex verbo obsaepserat variata structura penderet et accusativus ille obiecti iter et, tanquam antecederet notio prohibendi, enuntiatum ab ne incipiens; hac autem interpretandi ratione verbum obsaepire a Tacito nostro loco usurpatum esse duplici sensu, i. e. significatione propria et sensu translato contendit;

vir ile doctus. Sed eiusmodi zeugmatis formam Tacitus non adhibuit nisi verbum, quod duplici sensu ita positum est, in utroque sensu usurpari potuit: cf. H. I 35, 1 seq.; — II 87, 14 seq.; — IV 8, 8 seq.; — An. I 20, 8; — 41, 13; — II 29, 6 seq.; — IV 26, 4 seq., al. — Ut autem non negaverim verbum obsaepire, ubi cum accusativo obiecti coniungitur, prope interdum accedere ad vim verborum prohibendi, ita tale quid factum esse, ubi deest notio obiecti, plane nego; verbum obsaepire absolute positum non invenitur. Heraei igitur illa interpretatione nihil profici elucet. Sed fortasse quispiam in auxilium vocaverit alteram illam zeugmatis speciem, qua ex verbo posito suppletur simile verbum (cf. in hac paragr. sub 2 et 3). At huic obstaret verborum collocatio; nam verbum positum ubique in eo periodi membro extat, ad quod propria sua significatione quadrat; Tacitus igitur, si nostro loco illam dicendi rationem adhibere voluisset, sine dubio scripsisset .. *Raetiam Iuliasque Alpes obsaepserat ac* (scil. impediverat) *ne pervium illa Germanicis exercitus foret* (cf. infra sub 3). — Heraeus triplicem dicendi rationem haud accurate distinxit, cum scriberet: *Als koordiniert mit dem Objekt iter durch das explikative ac ist der negative Finalsatz zu denken, und zwar so, dass mit einer Art von Zeugma ne von obsaepserat gleichwie von einem Verbum des Verhinderns abhängig ist. Vgl. Dräger Synt. § 233, 15.* Quid de zeugmate illo iudicandum sit, supra iam vidimus. Qui hoc adhibuit ad nostra verba explicanda, is nullo pacto dicere potuit enuntiatum illud finale particula, *ac* epexegetice posita *(= und zwar)* coordinatum esse accusativo obiecti *iter:* immo ei subiunctum est, quod attinet ad logicam; nam iter illud obsaeptum esse, ne pervium foret Germanicis exercitibus patet. Cur denique nos relegaverit Heraeus ad Draeger, Synt. § 233, 15, ubi levissime attingitur structurae illa vicissitudo, qua adiectivo vel participio adnectitur enuntiatum finale, plane non video; quaenam inde redundant ad illam accusativi obiecti et enuntiati finalis vicissitudinem probandam, quam deprehendit Heraeus nostro loco? — Tacitus ut ea quae in enuntiato aliquo narravit, accuratius circumscriberet, finalia enuntiata ei subiuncta varie

adhibuit; aut enim enuntiatum finale praemisit enuntiato explicando, ut: Hist. III 49, 7 seq.: *utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat;* — IV 67, 6 seq.: *utque famam exitii sui faceret, villam in quam perfugerat cremavit;* — An. III 6, 1 (— ib. 13, 14); — IV 16, 16; — XIII 39, 5 seq. al.; — aut inseruit, ut Hist. II 9, 6; — IV 13, 6 seq.; — 18, 11 seq., al.; — aut postposuit, ut: Hist. II 53, 4; — 57, 4; — al.. Trita haec sunt. — Ut enuntiati finalis vis epexegetica magis eluceret, id sola particula scilicet adiunxit antecedentibus hoc uno, quod sciam, loco: An. II 30, 14: *Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur.* Neque raro Tacitus duobus vel pluribus enuntiatis, quorum extremum sensu finali positum est, usus est ad ea quae antecedunt explicanda, ita quidem ut ipsi enuntiato accuratius explicando prius illud membrum nulla particula epexegetica interposita subiungeret eique enuntiatum finale particulis copulativis adversativis disiunctivis adnecteret, locis ut: dial. 9, 10 seq.: *nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret aut ad te, Materne, non quia poëta es neque ut pro eo versus facias;* — Hist. III 4, 10 seq.: *suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie praetenderetur;* — An. III 65, 1 seq.: *exsequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore, quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit;* — XIII 39, 5 seq.: *et Corbulo, ne invitum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, excindere parat castella;* — 24, 1 seq.: *fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret* et q. s.; — 9, 4: *et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum;* — XVI 23, 8 seq.: *tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur,*

an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret. — Audacius locum membri illius priore loco positi, cui adnexuit enuntiatum finale particulis que, et, ac, sive, an, al., tenentem fecit aut ablativum causalem, ut H. I 7, 6 seq.: *fuere qui crederent ... Galbam mobilitate ingenii an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse;* — aut dictionem praepositionalem causaliter vel finaliter positam, ut: H. IV 50, 15 seq.: *militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit: neutrum ex merito, sed ut obpressisse bellum crederetur;* — An. II 62, 1 seq.: *dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur* (i. e. inliciens Germanos, ut discordarent utque Maroboduo .. insisteretur). Ut hoc loco praepositionis ad propria significatio localis, qua describitur, quo aliquid flectitur, abiit in vim finalem ita alio loco sensum finalem sibi induit dictio praepositione adversus composita, ita quidem, ut ei coordinare liceret enuntiatum finale: H. II 34, 3 seq.: *quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum simulantes adversus obpositam gladiatorum manum ac ne ipsorum miles segne otium tereret* (i. e. pons ille inchoatus eaque re transitus simulatus est, et ut opposita manus quasi sollicitaretur adque imprudentiam pelliceretur et ut ipsorum miles apte occuparetur). Similiter cum dictione, quae eadem praepositione conformata est, Tacitus enuntiatum finale commutavit An. II 57, 4 seq.: *Cyrri demum apud hiberna decumae legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur* (i. e. vultus firmaverant, Piso, ne metum ostenderet, Germanicus, ne minari crederetur). Heraeo igitur non adsentior interpretanti Tacitum variata structura participio simulante senuntiatum finale *ne... tereret* particula ac adiunxisse; nam ubi tale quid fieri ille voluit, participio praesentis tribuit vim causalem (cf. p. 130), ita ut dissolvi posset enuntiato causali; sensus autem non staret, si scriptum esset *inchoato ponte,*

quia transitum Padi *simulabant* *adversus obpositam manum ac ne* et q. s.; neque verba nostra perinde explicari possunt ac si dicta essent pro *inchoato ponte, ut transitum* ... *simularent adversus obpositam manum ac ne* et q. s., quia participio praesentis vis finalis participii futuri propria subiungi non potest. Quae cum ita sint, iustam non video explicandi rationem nisi eam, quam supra proposuimus: indem sie gegenüber der ihnen entgegengestellten Gladiatorentruppe und damit die eigne Mannschaft nicht träge Ruhe pflege, durch Beginn eines Brückenbaues sich den Anschein gaben, als wollten sie den Padus überschreiten, vel sie rechneten auf die Thorheit der Feinde, indem sie durch Beginn einer Brücke Übergang über den Padus heuchelten, eine Massregel, die gerichtet war gegen die entgegenstehende Gladiatorentruppe und zum Zweck hatte, die eigne Mannschaft nicht träger Ruhe sich hingeben zu lassen. — Loco membri priore loco positi extat dativus gerundivi finali sensu praeditus: An. III 31, 4 seq.: *eius anni principio Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret.* Solus dativus finalis extat An. XV 28, 11 seq.: *die pacta Tiberius Alexander* ... *et Vinicianus Annius* ... *in castra Tiridatis venere, honori eius ac ne metueret insidias tali pignore.* — Ablativum absolutum sequitur enuntiatum finale An. IV 8, 4 seq.: *ceterum Tiberius per omnes valetudinis eius dies, nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret,* ... *curiam ingressus est;* — XV 64, 1: *at Nero nullo in Paulinam proprio odio ac ne glisceret invidia crudelitatis, iubet* (add. Heinsius) *inhiberi mortem.* — Priore loco in modum appositionis causali vi posita sunt participia aut adiectiva: An. XII 8, 7 seq.: *at Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret et consiliis eiusdem ad spem dominationis uterentur* et q. s., i. e. quia laetum in publicum (id esse)

rebatur ob claritudinem studiorum eius utque et q. s.; — III 3, 1 seq.: *Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati* (i. e. quia-rebantur), *si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur*; conferas etiam locum XIII 39, 1 seq.: *rex sive fraudem suspectans .... sive ut commeatus nostros Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit*; — Hist. V 14, 1 seq.: *at Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit, tutus loco* (i. e. quia tutus erat loco) *et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi*; — III 46, 9 seq. *iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus* (i. e. quia Cr. v. gnarus erat) *ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent.*

Omnibus his exemplis bene perpensis patet Tacitum non ipsi enuntiato accuratius explicando enuntiatum finale particulis copulativis epexegetice positis adiunxisse, quia durior extitisset verborum structura. Quod non infringitur collatis locis ut An. I 58, 14 seq.: *atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam* (cf. — IV 48, 7 seq.: *igitur hostes incuria eorum comperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet)*; nam ut An. I 58 praepositionalis dictio eāque novi aliquid particula neque epexegetice antecedentibus adnectitur, ita loco illo, de quo res est, non dictione praepositionali, sed enuntiato finali non novi aliquid additur, sed prorsus idem quod antea satis iam dictum erat; patet enim Raetiam Iuliasque Alpes exercitu obsaeptas non fuisse pervias (cf. etiam An. IV 34, 8: p. 106). Quod Heraeus contendit, nostro loco ut accusativum obiecti iter (cf. p. 126 s.) ita enuntiatum illud finale particula ac ei coordinatum pendere ex obsaepserat, supra iam demonstravimus enuntiatum *ne-foret* non ipso verbo obsaepire regi posse ut verbo impediendi, sed meram habere vim finalem *(damit nicht*

et q. s.). In auxilium igitur vocari non possunt ea exempla, in quibus structuram in eum quem voluit Heraeus modum variare licuit, quia verbum regens fuit eorum, quibuscum proprie coniungerentur aut accusativi obiecti aut enuntiata ab ut, ne incipientia: cf. An. XIII 8, 2 seq.: *supplicationes et.. vestem principi triumphalem utque ovans urbem iniret effigiemque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere;* — XV 43, 9: *ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat utique naves, quae frumentum Tiberi subvectavissent, onustae rudere decurrerent* (cf. I 15, 9 seq.; — II 32, 6 seq.; — III 13, 1 seq.; — XIII 41, 19 seq.; — XIV 12, 1 seq.; — XV 23, 7 seq.; — 74, 1 seq.; — simil. An. VI 2, 1 seq. —).

Quae cum ita sint, nullam video rationem, qua locus ille Hist. III 8, 8 seq. ita explicari possit, ut retineatur codicis scriptura. Adsentior igitur novissimo Historiarum editori, Gantrellio, qui oblitus eandem emendationem iam a Lipsio esse prolatam, delevit particulam ac. Neque minus laudo Nipperdeium, qui similibus ut videtur causis commotus scripsit An. XIV 16, 7 seq.: *etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, ut* (cod. utque, corr. Rhenanus) *contraria adseverantium discordia frueretur;* quae emendatio etiam ab Andreseno, qui eam olim refutare studuit (cf. Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes., Jahresber. 1875), nunc in novissima Nipperdeiana editione laudari videtur. Valde autem miror, quod vir ille doctissimus medelam illam, qua usus est ad locum An. XIV 16 restituendum, non adhibuit, ut locum simillimum Hist. III 8 corrigeret.

An. II 40, 1 — 3: Doederlinium secutus Halm olim, *Beitr.* p. 8, verbo celebrare duplicem tribuit sensum, quo significaret in priore enuntiato besuchen, fetieren, in altero besprechen. Verba sunt *vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, credebatur Romae; iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant.* — Hunc Pseudo-Agrippam ipsam urbem intrasse patet ex eo, quod una nocte et vinctus et in Palatium tractus est. Desideratur a viris doctis, quod a Tacito nihil de hac re relatum sit. Sed tamen hoc factum est; verba enim in urbe opposita illis Ostiam invectum satis indicare videntur, non

solum clandestinos illos coetus in urbe esse factos, sed etiam eum, quem ad celebrandum facti sunt, ibi fuisse. Quae cum ita sint ad utrumque membrum pertinet verbum celebrare significatione feiern, fetieren. Similiter explicandus est locus alius, quem huc traxit Halm l. l., An. V 10, 9/10 (VI 5): *iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur.*

An. VI 5 (11), 1 seq. cod.: *exim Cotta Messalinus saevissimae cuiusque sententiae auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque C. Caesarem quasi incerta* (B. incestae) *virilitatis et, cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novendialem eam cenam dixisse.* Mendi manifesta est vox incerta. Nipperdei sententia, qua incertam virilitatem Caligulae serio obici non potuisse contenditur, quia a Suetonio, Cal. 36 ita descriptus esset, ut incertae virilitatis obiurgium plane ineptum fuisset, haec sententia infringitur particula quasi, qua fictum fuisse illud opprobrium satis indicatur (cf. Herm. Hahn, *de particularum quasi et velut usu Tac.* p. 35 Goett. 1877). Alii sufficere emendationem incertae arbitrati coniunxerunt pleraque cum verbo arguitur ex analogia Graecae dictionis πολλὰ ἐλέγχεσθαι et coll. locis An. IV 28, 14: *falsa exterritum,* nostro in cap. l. 8: *cuncta revincebatur* et q. s. Sed cum pleraque, si ita cum arguitur coniungitur, nil nisi id significet, permulta eiusmodi opprobria iecisse Cottam in Caesarem, vix evadit bonus sensus; male enim sequentia epexegetice ad pleraque adduntur. Qua re etiam Freinshemii coniectura ingeniosa, qua scripsit *arguitur pleraque Gaiam* (sc. dixisse) *Caesarem* et q. s. (Ritter 1864 *Gaiam C. Caesarem*) reicitur. Nipperdey et Halm, Mureti emendationem secuti, praepositionem in ante C. Caesarem in textum receperunt, ita ut verbum dicere alio sensu ad membrum prius, alio ad alterum referri debeat (cf. An. II 87, 5/6 p. 126). Sed vix pulchre dicitur *pleraque in C. Caesarem quasi incertae virilitatis dixisse arguitur,* cum plane nihil ad rem ipsam intersit, utrum multa an pauca de Caligulae virilitate dixerit Cotta; criminis enim summa vertitur in eo, quod omnino hoc fecit. Corruptum mihi videtur vox pleraque, in quo latet fortasse verbum aliquod, ut: perstrinxisse

(petrīisse) vel petivisse. — De emendatione, quam Halm proposuit in annotatione critica ed. III quasi incerta virilitate cf. Andresen Jahr.-Ber. 1876 p. 76. — K. Schaedel, Philol. 1874 p. 685 disserit de loco An. XIV 32, 3 seq.: *et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant: externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse* e. q. s.; quae verba mutari vult hac ratione: ... *adesse exitium canebant externis, ternosque fremitus in curia eorum auditos* et q. s., ita ut ex canebant = vaticinabantur ad verba *ternosque-auditos* supplenda sit praedicabant: at cf. p. 152. — De loco XIV 33, 4—6, quem huc traxit Nipperdey, cf. p. 115.

XIV 44, 8—10: *multa sceleris indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere* (NB. M. *pr: agerent*). Certa huius loci dificillimi explicatio vel potius emendatio nondum inventa est neque quidquam novi nobis in mentem venisse lubenter fatemur. Itaque sufficiat commemorare commentationes, quibus viri docti rem expedire studuerunt: et quidem zeugma adhibuerunt: Urlichs, J. Jahrb. 1854 p. 309, Draeger (ed.), Th. Opitz, J. Jahrb. 113 p. 265: verbum enim agere significatione leben referendum esse ad *singuli-tuti*, alia (qua??) ad non inulti; sed cf. J. Müller, IV p. 30 seq. et Andresen, Jahresb. 1877 p. 71/72; Madvig, adv. cr. II 554 et Halm, J. Jahrb. 109 p. 412.

2. Ex verbo angustiore sensu posito eiusdem generis verbum generale suppletur.

Agr. 31, 4/5: cod. A. et B.: *bona fortunaeque in tributum aggerat annus in frumentum corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conterunt:* locus varie tentatus; optime placet lenissima Jacobi emendatio .. *ager atque annus* .. *conteruntur:* ex conteruntur ad verba *bona-frumentum* sumitur verbum consumuntur cf. Peter, Urlichs. — 35, 8: *acies-constiterat ita, ut primum agmen in aequo* (staret), *ceteri per adclive iugum convexi velut insurgerent* (cf. Nipp. op. p. 270 seq.; sed cf. editores ceteros et Urlichsium praecipue); — 45, 6/7: *nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit:* Urlichs et Andresen receperunt

lectionem in margine codicis A adscriptam *nos Mauricum Rusticumque divisimus, nos* et q. s.; Baehrens lacuna indicata scripsit (m. cr. p. 167): *nos Maurici Rusticique cruciavit divisus:* neutrum placet (cf. Eussner, J. Jahrb. 113 p. 556/7, Prammer, Zeitschr. f. öst. Gymn. 27 p. 655); Halmium secutus facile intelleges ex perfudit ad membrum prius notionem foedandi.

Germ. 2, 2/3: *nec terra olim* (adveniebant) *sed classibus advehebantur:* verbum adveho vel advehor Tacitus non nisi ad ea, quae navibus curribus equis moventur, rettulit: cf. lex. Tacit.

H. I 33, 8 seq.: *et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis* (extenuetur: cf. H. IV 46 extr.) *et, quae plurimum valet, prima indignatio relanguescat;* — similis est locus: An. I 72, 9/10: *si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus* (suppletur notio nocendi), *denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset* (cf. Nipp.); — H. ± 42, 6–8: *ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem* (ictus), *mox ab Iulio Caro .. in utrumque latus transverberatus* (cf. Heraei ed. et Andresen, Jahresber. 1875 p. 28, ubi Meiseri emendatio *ictus* reicitur). — III 35, 5—9: *in Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque* (perferendam curavere), *in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum .. ostentui misere;* — V 4, 4/5: *effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere:* error enim i. e. das Umherirren non depellitur, sed finitur; — An. I 49, 2: *non proelio, non adversis e castris* (sibi quasi adversantur cf. An. XII 45, 3), *sed isdem e cubilibus .. discedunt in partes* (cf. Nipp.); — II 17, 18—20: *et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis* (exitio affecere), *postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere;* — 20, 5—6: *quod arduum sibi* (sumpsit), *cetera legatis permisit;* — 38, 6/7: *ut privata negotia* (iuvemus) *et res familiares nostras hic augeamus;* — 54, 2—4: *tum extrema Asiae* (adit) *Perinthumque ac Byzantium, Thraecias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat;* — XIII 35, 18/19: *laudem strenuis, solacium invalidis* (tribuit), *exemplum omnibus ostendere;* — XV 19, 3/4: *prae-*

turasque (adepti) *et provincias inter patres sortiti:* cf. Nipp. — 34, 4/5: *ergo per conpositos cantus grates dis* (agens) *atque ipsam recentis casus fortunam celebrans.*

Loci dubii: Agr. 19, 8—11: *omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper, sed saepius paenitentia contentus esse.* Kritz, Peter, Prammer, Andresen alii supplent uti ex contentus esse. Non recte, opinor; nam affinitas inter verbum suppletum et omissum fere nulla est, cum illud nimis generalem habeat vim. Wex rectum vidit interpretatus *nicht immer ist er* (erst) *mit der Strafe, sondern häufiger mit der Reue* (schon) *zufrieden.* — Adscribenda sunt verba, quae extant in eiusdem libelli capite XXVII 7 seq.: *at Britanni non virtute sed occasione et arte ducis rati nihil ex arrogantia remittere* et q. s., quae ad restituenda Henrichsen olim adhibuit simplicissimam medelam *duci se*, ita ut ex voce ducendi ad membrum negativum *non virtute* eiusdem generis notio generalior supplendum sit; quo etsi invento Baehrens, misc. crit. p. 150 nihil praestantius se novisse fatetur, tamen Halmii coniectura *non virtute se sed occasione et arte ducis victos rati*, qua secutus est vestigia Broterii, praeferenda videtur (cf. etiam Wölfflin, Philol. 26 p. 148 et lex. Tacit. p. 101). Agitur enim de iis, quae Britanni victi de clade sua eiusque causis cogitaverunt. Attamen concedendum est ipsum zeugma illud ab Henrichseno Taciti verbis illatum nihil habere offensionis.

In loco graviter corrupto, Agr. 36, 18—21, explicando Urlichs Rhein. Mus. 31 p. 524 flagitat, ut in verbis a se sic emendatis *minimeque pedestris ei pugnae facies erat cum e (?) gradu aut stantes simul equorum corporibus impellerentur* a verbo impellerentur mutueris notionem movendi generalem ad verba *e gradu.* — In eiusdem libelli cap. 37, 15 seq. legitur ex codicum auctoritate *postquam silvis appropinquaverunt,* † *item primos sequentium incautos collecti et locorum gnari circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultari* (sic A; cod. B: *perlustrari) iussisset* et q. s.; plerumque codicis A

lectio defenditur zeugmate, quo notio perlustrandi ad membrum proxime antecedens ex persultari intellegitur, ad primum membrum notio progrediendi. Hoc artificiosius est; scribas cum Urlichsio *perlustrare,* quod etiam Ed. Wölfflin, Burs. Jahresb. 1875 II p. 767 commendavit, ex quo suppleas post *indaginis modo* notionem pervagandi. Violentius lacunam indicavit post *modo* Nipperdey .. quam emendationem laudavit Andresen nuper in Jahresb. 1878 p. 262; sed nunc in novissima editione secutus vestigia codicis A scripsit *persultare.*

Germ. 7, 15: agitur de Germanorum pugnandi ratione: *ad matres, ad coniuges volnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent, cibosque et hortamina gestant.* Kritz, Schweizer-Sidler, Draeger alii intellegunt ex gestant ad vocem hortamina notionem generalem ferendi translato sensu praeditam. Sed plane improbandum est propter insolentiorem dicendi formam, qua in locum verbi ex suo loco ad membrum antecedens quasi subtracti aliud verbum suppletur. Nullum eiusmodi exemplum extat. Hortamina non sunt sola verba exhortandi causa dicta, sed etiam res in eundem finem adlatae: cf. ea quae antecedunt *effigies et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt,* i. e. Mittel zur Aufmunterung: cf. etiam H. IV 18, 12. Tacitum saepius substantivum abstractum posuisse pro concreto docuit Draeger, *Synt. und Stil des Tac.* § 3.

Propter eandem malam verborum collocationem Heraei explicatio reicienda est, qua H. I 23, 9—11: *cum* (milites) *Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et inmensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur* in locum verbi eniterentur, quod ad sola illa itinera per montes Pyrenaei Alpiumque facta accommodatum esset, supplevit verbum emetiri vel conficere. Sed et eniti in universum ad id refertur, quod summo labore conficitur, et ne una quidem littera scriptor noster indicavit immensa illa viarum spatia confecta esse in aequo planoque.

Ib. II 35, 1/2: *et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando perlabebantur:* cod. *prelabebantur:* corr. Halm. Ruperti, Heraeus, alii ad prius enuntiati relativi membrum subintellegunt vehebantur vel contende-

bant. Frustra; nam sive nando facillime (?) sive navi vehendo summa opera flumen transmittis, ubique perlaberis aquam. — ib. 83, 6—8: *classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii, num omissa Moesia Dyrrachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet.* Heraeus, Peter (ed. Agr. p. 53/54) notionem obtinendi ex verbo clauderet supplendam esse docent. Sed qui urbem obtinet eam claudit (= absperren) ab hoste, et vice versa, qui urbem claudit ab hoste, eam obtinet. Collato loco XIV 25, 1: *at praesidium Legerda* (cod. inepte: *legerat*), *quod ferox iuventus clauserat* (i. e. obtinebat), *non sine certamine expugnatum est* zeugma illud respuamus. — III 42, 6/7: *Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur.* Doederlein, Heraeus ab depellitur mutuantur defertur, quod solum ad segnitiam maris referri possit. Sed quis unquam audiverit navem aliquam malacia motam, i. e. delatam esse in portum? Potius depelli illud efficiebatur et malacia et ventis adversis; ubi erat malacia, navis non movebatur, ubi desinebat, ventis adversis depellebatur.

An. XIII 14, 17—19: *simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare et tot inrita facinora.* Molestissime Draeger (cf. ed. et Phil. 26 p. 724) a voce invocare ad verba extrema verbum clamare mutuatur; melius quadrat Orelliana explicatio etiam ab Urlichsio (J. Jahrb. 1854 p. 155 seq.) et Andreseno, ed. IV recens. Nipperd. p. 113 laudata, qua ab Agrippina ut Claudium et manes Silanorum ita ipsa facinora quotiens temptata totiens inrita impetu quodam animi esse invocata; commendatur simili loco An. XVI 31, 5/6: *nullos, inquit, impios deos, nullas devotiones nec aliud infelicibus precibus invocavi,* ubi de zeugmate vix cogitari potest. Sed optima mihi videtur ea interpretatio, quam Nipperdey in edit. III proposuit, quaeque probatur exemplis supra p. 106 allatis.

ib. 18, 12/13: *excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris olim, tum* (cod. *solitum* pro *olim tum:* corr. Lipsius) *ut matri servabantur:* J. Müller, Zeitschr. f. öst. Gymn. 26 p. 645 bene iam demonstravit collatis H. II 93, 3; Curt. 5, 1, 42; 4, 10, 23 cum H. I 5, 11—15; — IV 62, 17—20 hoc loco et

verbum servabantur quadrare ad excubias et imperfectum in membro priore *ut-olim* bene ferri posse. Opus igitur non est Nipperdei et Andreseni explicatione, qua post olim intellegere iubemur fuerant vel actae erant ex servabantur. — Halm, J. Jahrb. 109 p. 413, Madvigio duce (cf. adv. crit. II p. 554—555) restituit pulcherrime locum corruptum Ann. XIV 54, 12—13: *superest tibi robur et tot per annos visum summi fastigii regimen;* supplet ex superest per zeugma verbum adest post regimen. Sed nonne fortasse melius refertur ad id dicendi genus, de quo breviter disseruit Andresen, Jahresber. 1877 p. 76 ann. 3, quo interdum ea, quae nos forma subiectiva exprimimus, Latini obiective exprimebant? cf. H. I 89, 17: *et Caecina iam Alpes transgressus extimulabat;* An. IV 3, 1: *ceterum .. nepotes adulti moram cupitis adferebant:* his locis nomen subiecti cum participio coniuncti vertitur Germanice *der Gedanke an;* similiter H. II 76, 20: *an excidit trucidatus Corbulo? = die Erinnerung an:* ex huius loci analogia explices, quaeso, locum nostrum (cf. etiam Fr. Helm, *quaest. synt.* p. 48 seq.). Halmii enim zeugma displicet, quia verbum superest tanta vi initio totius periodi posita est, ut robur eius non iam ante et relanguescat, sed latius quasi totum comprehendat enuntiatum.

3. Ex verbo posito cognatum omnino verbum suppletur.

Agr. 3, 4—6: *nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit;* — 12, 23 s.: *ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam* (sc. abesse): cf. Kritz, Wex, Andresen. — H. IV 5, 9 seq.: *qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant* ad priora membra suppletur putant; — An. III 12, 6 seq.: *nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit:* ad terminos quadrat sola notio neglegendi; — VI 24, 13: *quem ad modum nurum filiumque fratris et nepotes* (necasset) *domumque omnem caedibus complevisset;* — XII 22, 9: *addidit perniciosa in rem publicam consilia* (prohibenda) *et materiem sceleri detrahendam* e. q. s.

Loci dubii:

Dial. 24, 15: *quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret:* Doederlinium secutus Andresen intellexit locutus est ex mutuatus est ad verba *quanto-spiritu*, quia aliquid spiritu, i. e. ardore et impetu mutuari non liceret. Ribbeck iam in Mus. Rhen. vol. 32, p. 319 zeugmata ex dialogo sumpta in suspicionem vocavit, ut quae non responderent numerosae et dilucidae dicendi rationi huius libelli propriae. Nostrum vero locum eo referri non posse, quo a Doederlinio relatus est, satis elucet ex eo, quod verbum loqui nullo significationis vinculo coniunctum est cum verbo mutuari. Atque etiam spiritu quemquam uti posse ad eas res mutuandas, quae ingenio eruditione arte tantum in usum nostrum verti possunt, haud ita ineptum mihi videtur.

Ib. 25, 27: *nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.* Andresen olim in textum recepit commotum fuisse post invidia; nunc — et sequitur eum Peter — intellegit notionem dicendi ex iudicium animi sui detexisse. Ribbeckio l. l. hoc zeugma durius videtur, quam ut ferri possit, quia illud iudicium animi detegere nostro loco plane contrarium sit iudiciis, quae fiant malignitate et invidia; itaque inseri iubet in textum verbum detrectasse post vocem invidia. Neutrum placet, nec Andreseni nec Ribbeckii praeceptum. Cur enim, si re vera verba *iudicium animi detegere* iam ipsa et propter sermonis contextum ad simpliciter ingenueque iudicandi rationem spectant, Tacitus expresse addidit adverbia illa *simpliciter et ingenue?* Ex ea sola, ut videtur, hoc fecit causa, quia ipse verba *animi iudicium detegere* nostro loco nec in bonum nec in malum sensum accepit. Et sine dubio unusquisque ut aut malignitate et invidia aut simplicitate et ingenuitate imbutus est, ita animi iudicium suum deteget.

Germ. 17, 14 seq. (Halm), 18, 2 seq. (Müllenhoff) legitur in codicibus *nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti*

sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus (cf. Halm) *nuptiis ambiuntur,* quibus in verbis zeugma inesse editores quidam contendunt. Sive autem cum aliis (Kritz-Hirschfelder) verba plures uxores habent sive cum aliis (Halm, *kontroverse Stellen* p. 9 seq.) plures uxores quaerunt ad verba qui non libidine ex voce ambiuntur subintellegi iubes, neutrum placet: nam nec verbum ambiendi i. e. quaerendi significatione tam prope accedit ad verbum habendi i. e. possidendi, ut unum ex altero eruendum relinquere liceat, nec ullo exemplo probatur ex verbo passive posito suppleri posse verbum activum. — Tres abhinc annos A. Holder extricavit codicis Hummeliani scripturam *ambiunt.* Sed quantum fidei Holderi arti et studio veras Hummeliani lectiones investigandi sit habendum nuperrime Ed. Wölfflin, Burs. Jahresber. 1879 II p. 240 explanavit, cum ostenderet etiam codicem illum exhibuisse *ambiunt̃* i e. *ambiuntur* esse veri simillimum. Cautius sane egisset Aem. Baehrens (cf. Fleckeis. Jahrb. 121 p. 267), si non ea qua est audacia illud ambiuntur stultitiae Henochi Asculani tribuisset, sed Holderianae editionis fundamenta accuratius examinasset. Nescio an verba *ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiunt* subtilius dicta essent, quam ut ab hominibus minus acutis quam Baehrensii intellegerentur. Restat igitur sola explicatio illa, qua ablativo libidine datur vis causalis. Qua in re caveas ne nimis investiges eos, quorum libidines pluribus illis nuptiis explendae fuerint. Artificiosius hoc est neque necessarium, si generaliorem sensum tribueris voci *libidine.* Vertas: *welche sich nicht aus Gründen der Wollust, sondern wegen ihres Adels zu mehrfacher Eheverbindung umwerben lassen.*

H. IV 12, 8/9: *simulque insulam iuxta sitam* (i. e. insula Batavorum) *occupavere, quam mare Oceanus a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* Vix dici potest, Oceanum unum tantum insulae latus circumluisse. Aut suppleas alluit ex voce circumluit aut corrigas *circumluunt.*

Ib. 31, 8—11 (vetus miles) .. *dixit sacramentum, non voltu neque animo satis adfirmans; et cum cetera iuris iurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut levi murmure et*

plerumque silentio transmittebant. Heraeus ex voce transmittere supplet ad haesitantes aut levi murmure verbum proloqui. Minime; nam verba silentio transmittere unam efficiunt notionem, ex qua notionem dicendi prorsus contrariam intellegere non licet; transmittere autem aliquid potest quisquam aut haesitans aut levi murmure aut silentio.

Ib. 55, 9—11: *proaviam suam divo Iulio .. corpore atque adulterio placuisse:* etiam hoc loco Heraei zeugma displicet; mulier enim illa placuit Caesari corpore, i. e. pulchritudine, et quia se in adulterium ei dedit. — V 3, 16: *optinuere terras, in quis urbs et templum dicata.* Bach, Heraeus alii ex dicata ad urbs subaudiunt condita. Mihi fieri non posse videtur tale quid, quia aut pluralis dicata indicat Tacitum verbum hoc ad utrumque substantivum consulto rettulisse, aut, si singularem numerum tribuis dicata, proprie ad urbs. Cur autem urbs condenda numini cuipiam dicari non potuit? — An. IV 50, 10 seq.: *utrique destinatum cum libertate occidere, sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro.* Nipperdey ex gerundivo necessitatem significanti et cum verbo dicendi (clamitans) coniuncto notionem supplere vult suadens ad verba properum finem; in auxilium vocat locos An. VI 24, 13/15 (cf. p. 139) et ib. 38, 5/6 (cf. infra p. 144). Sed iam Müller, Zeitschr. f. öst. Gymn. 26 p. 645 huic analogiae quasi fundamentum subtraxit, cum recte doceret haec exempla esse prorsus alius generis, quia illic ex sola verborum ipsorum significatione, hic vero maxuma ex parte ex formae grammaticae vi notio aliqua repetatur. Tale quid minime fieri potuit. Nec id dicendi genus, quod Madvig circumscripsit ad Cic. de fin. II 31, 103 (p. 315), ad nostrum locum explicandum in auxilium vocari potest. Collatis enim accuratissime exemplis, quae Madvig loco illo collegit — Cic. Lael. 74; Quint. IV 5, 20; Cic. de inv. II 130; Varro de re rust. III 9,8 — patet ex eorum analogia locum nostrum explicari non posse nisi scripseris *properum finem fieri*, sc. *oportere*, *abrumpendas* et q. s. Alia igitur interpretandi via ineunda est. Pfitzner p. 148/149 iustum modum excessit, ut ipsas personarum agentium exclamationes

deprehenderet in Taciti libris, eas quidem, quae omisso verbo, ex quo penderent, in ipsam narrationem insertae essent (cf. supra p. 65); et sine dubio Andresen, Jahresb. 1875 p. 5 et Prammer, Zeitschr. f. öst. Gymn. 25 p. 704 seq. non satis caute egerunt locis ut An. XI 20, 4: *nihil aliud prolocutum quam beatos quondam duces Romanos* perinde explicatis quasi extaret ipsa personae agentis exclamatio. Confera autem locos ut An. III 65, 11: *eloqui solitum o homines ad servitutem paratos,* — XI 34, 4: *non aliud prolocutum quam o facinus! o scelus!* — XIV 8, 16: *abeunte dehinc ancilla tu quoque me deseris prolocuta,* quibus aut interiectione o aut oratione recta res satis indicatur; sed ubi haec quasi signa notaeque desunt, praesertim cum accusativis positis (cf. XI 20, 4) ad aliam explicationem fere inviti feramur, Pfitzneri ratio neglegenda est. Itaque ea interpretatio sola nostro loco IV 50, 10 s. stare potest, qua ex analogia verbi loqui cum accusativo praedicativo loco obiecti coniuncti (= im Munde führen: cf. Nipp. II p. 304, 9; Her. ad Hist. I 50, 11; — 90, 9, — IV 12, 3) nostro loco accusativus properum finem ad ipsum verbum regens clamitans refertur. Clamitare verbum bis sequitur oratio recta. An. I 18, 9: *clamitans: mea potius imbuite manus* et q. s.; — 65, 15; aliis locis coniunctivus adhortativus: XI 34; 36; XVI 10; plerumque accusativus cum infinitivo: cf. lex. Tacit. Si profectus ab locis ut An. III 23, 5: *ut effusi in lacrimas saeva ac detestanda .. clamitarent* collegeris locos ut Liv. XXI 62: *ingenuum infantem semenstrem .. triumphum clamasse;* Cic. pro Sest. § 80: *cur tam temere exclamavit occisum?* (cf. Heraeus) facere non poteris, quin etiam locis ut H. III 10, 8: *propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitavit* accusativum pendere tibi fingas ex ipso verbo clamitare. Itaque etiam nostro loco verba properum finem ipsa cum voce clamitans coniungas ut accusativum obiecti. In sequentibus verbis propter variatam structuram, qua in re Tacitus asyndeto uti solitus non est: cf. An. I 21, 8; — 30, 12 al. fortasse legendum est *abrumpendasque; q;* compendium (cf. Ritter 1864 p. 12, 14; — 33, 19; — 40, 22 et q. s.) pro *que* a librario adhibitum facillime ante *p(ariter)* evanescere

potuit. — VI 38, 5/6: *eo metu Fulcinius Trio, ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit:* zeugmate Nipperdei — dicit enim verba eo metu nec ad haud perpessus nec ad composuit quadrare, sed ad notionem aliquam interficiendi (*se ipse interfecit*), quae latent in verbis et haud perpessus et supremis tabulis — hoc zeugmate insolentiore opus non est: verba enim explicanda sunt Trio, qui eo metu ingruentis accusatores haud perpessus est, multa et q. s. — XII 14, 15—17: *atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans* i. e. indem er den Nichtverwandten und Nicht-Arsaeiden, sondern den Fremdling und Römer (in ihm) schalt: i. e. er schalt ihn, weil er nicht ein Verwandter und Arsaeide, sondern ein Fremdling und Römer sei: zeugma non video (cf. Nipp. et An. XIII 42, 8: cf. supra p. 81).

Restat ut eos locos breviter adscribam, quos ad explicandos viri docti zeugma adhibuerunt, sed tam incaute vel inepte vel artificiose, ut eorum commenta commemorasse satis habeamus.

Dial. 21, 1—3: *equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere:* cf. Ruperti, ed. Tac. vol. IV p. 835; Willmann, de figuris grammaticis, 1862, p. 50: at cf. Andresen, ed. dial. Berol. 1867 p. 115; — ib. 34, 7—8: *ut altercationes quoque excipere* (sic C; correxit J. Bekker: *exciperet*: item in sequentibus: *interesset*) *et iurgiis interesse utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret:* Doederlein, ed. Tac. II 2 p. 172 supplevit olim soleret post interesse ex disceret: at cf. editiones recentiores. — ib. l. 23 difficultatem A. Wagener, les travaux de G. Andresen sur le dialogus de oratoribus, Gand 1877 (cf. Andresen, Jahresber. 1878), expedivisse sibi visus est voce dissimularentur in verbis illis sic emendatis *ut nec bene nec male dicta dissimularentur* per zeugma et ad nec bene dicta et ad nec male dicta relata; — **Agr.** 5, 12—13 *ac summa rerum* (sc. penes ducem fuit) *et reciperatae provinciae gloria in ducem cessit;* sic Kritz in editione Agricolae; sed cf. Hofman-Peerlcamp, Peter

ad h. l., Heraeus ad Hist. II 33, 11. — ib. 13/14: *artem et usum et stimulos addidere iuveni:* Walch post usum subintellexit paravere: sed cf. Wex, ed. Agr. p. 235. — 9, 10 s. *ubi officio satisfactum, nullam ultra potestatis personam, tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat:* Roth, ed. Agr. 1833 p. 273 subaudiendum esse censuit induebat vel indutus erat ad verba nullam ... personam; sed cf. Fr. Haase, Vorlesungen über lat. Sprachwiss. ed. F. A. Eckstein I p. 204 et supra p. 50 seq. — 13, 1—2: *ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt*: Kritz et Peter, edd. Agr., contendunt verbum obeunt nec ad dilectum nec ad tributa quadrare; Nipperdey etiam scribendum esse censuit subeunt (cf. opusc. p. 253 s.); sed omnia haec refutaverunt Ed. Wölfflin, Burs. Jahresber. 1875 II p. 785, et G. Andresen, ed. Agr. p. 172, collatis locis Hist. I 77, 3; — II 92, 4; — An. II 26, 17. — Zeugma, quod Bötticher, lex. Tac. proll. p. 78, Draeger, Syntax und Stil des Tac. p. 99, iniunxerunt verbis, quae in eodem capite extant l. 11—12: *ni velox ingenio, mobilis paenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent* plane non video: cf. Halm, ann. crit., Urlichs, ed. Agr., Prammer, Z. f. öst. Gymn. XXVII p. 653. — 18, 23—24 *qui classem, qui navis, qui mare expectabant:* Gronovius apud Roth. p. 40: sed cf. editiones recentiorum; caveas autem, ne Baehrensii commentis (cf. miscell. crit. p. 146) adducaris, ut scribas .... *navis per mare* (sc. venientes) *expectabant;* qua enim alia via nisi per mare venire potuerunt classis illa et naves? — 29, 9—10: *ultionem* (sc. quaerentes) *aut servitium expectantes:* sic Kritz; at cfr. Peter. — De zeugmate, quod in verbis 31, 12—13 *neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur* inesse voluerunt Walch, Draeger, Andresen, conferas annotationem Wexii ad h. l.; — ib. 17/19: *Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuerunt:* Wex et Kritz verbo potuerunt relato ad exurere et expugnare tribuunt significationem valuerunt; ad exuere quadrare solum valuissent: sed cf. Andresen. — 33, 12—13 *finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus*: Wex, Kritz,

Peter zeugma in his verbis invenerunt; sed cf. Andresen. — 39, 3 seq.: *inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: at nunc* (videbat) *veram magnamque victoriam .. ingenti fama celebrari:* sic Kritz; at cf. supra p. 94. — 42, 18: *famam* (quaerebat) *fatumque provocabat:* zeugmati, quod statuerunt Kritz et Draeger, fundamentum olim Doederlein, nuper Andresen, Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes. 1871 p. 803 (cf. etiam eius edit. p. 215) subtraxerunt. — 44, 14 s.: *nam sicuti durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus .... rem publicam exhausit:* duplex zeugma his verbis imputatum est; Roth olim, ed. Agr. p. 274 (cf. etiam Müller I p. 50 s.) ex solacium tulit supplevit notionem gaudendi, ex qua penderent infinitivi illi durare ac videre, Kritz, in ed. III contendit verbum ominabatur proprie ad augurio quadrare; ad votis subintellegendum esse expetebat. De zeugmate illo Rothiano cf. Koziol, Zeitschr. f. d. öst. Gymn. 1870 p. 29 et editiones recentiores; Kritzii autem explicationem non stare bene ostendit Peter; zeugma illud iam propter verborum collocationem reiciendum esse elucet satis ex iis, quae supra p. 137 exposuimus.

Germ. 2, 20 s. *evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur:* cf. Rudolphi, observat. gramm., Monasterii 1855 p. 20; Roth, Übersetzung I p. 149.

Hist. I 8, 2 s. *provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus:* Roth, ed. Agr. p. 272, ad ablativum artibus rettulit expertus ex inexpertus sumptum (item olim Heraeus in ed. I Historiarum et Baiter-Orelli ad l. An. XII 64, 20); etsi hoc zeugma defendi videtur loco H. II 52, 9 s.: *ita trepidi et utrimque anxii coeunt, nemo privatim expedito consilio,* (unusquisque) *inter multos societate culpae tutior* (cf. Heraeus ad h. l., Haase, Vorl. p. 205), tamen praeferenda est interpretatio, quam Haase, Vorl. I p. 204, Heraeus in ed. III, al. proposuerunt. — 28, 2 s. *is magnitudine*

subiti sceleris, an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens: Doederlein iure zeugmatis ab metuens mutuandum esse censuit post sceleris participium perculsus: at cf. Heraeus; — 67, 1 Doederlein codicis verba *plus praedae ac sanguinis p̃ Caecina hausit* deleta illa p̃ littera defendit zeugmate, quo hausit alio sensu (percepit) ad praedae, alio (effudit) ad sanguinis rettulit; at recipienda est Meiseri emendatio *per Caecinam haustum;* zeugmate abstineamus. — 77, 2—5 *Otho ... munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando:* cf. Heraeus, ed. I; at rectius idem haec verba explicavit in ed. III. — 80, 11 s.: *pessimus quisque in occasionem praedarum, volgus, ut mos est, cuiuscumque motus novi cupidum*: cf. Ruperti ad h. l.; at cf. etiam Heraeus. — II 3, 11: *precibus et igne puro altaria adolentur:* cf. Roth, Agr. p. 273, Ingerslev, lex. lat. p. 23; Ruperti vol. IV p. 835: at cf. Heraeus. — 32, 7: *Britannicum militem hoste* (occupari) *et mari distineri* (i. e. dirimi): Doederlein; — 70, 13/14: *falsa vera aut maiora vero miscebant:* Müller, Beiträge I p. 11 ann. 2, miscebant proprie ad falsa vera rettulit, cum ad maiora vero sola verba mixta referebant quadrarent: at cf. Heraeus, et de verborum collocatione supra p. 137. — 80, 5/6: *Caesarem et Augustum* (vocare) *et omnia principatus vocabula cumulare*: Doederlein; at cf. lex. Tacit. p. 248. — IV 50, 18 s. *mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis, iam per arma atque acies exercebantur;* Heraeus verbum exercebantur ad prius enuntiati relativi membrum refert sensu betreiben, ad posterius sensu ausfechten: at cf. lex. Tac. p. 417. — 59, 9 s.: *interfectorem voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit:* Heraeus; at cf. lex. Tac. p. 112. — 84, 22 s. *deum ipsum multi Aesculapium ..., quidam Osirin ..., plerique Iovem ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem insignibus, quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectant:* Heraeus ad sola verba *deum ... potentem* proprie quadrare coniectant contendit; ad ablativum insignibus supplendum esse intellegunt vel interpretantur: at cf. lex. Tac. p. 204 et supra

p. 137. — W. Weissenborn, J. Jahrb. vol. 57 (1849) p. 239 seq. verba Medicei, quae extant H. V 4, 17/18 *ac pleraque caelestium vim suam et cursus septimos per numeros commeare*, defendi posse iudicavit, si per zeugma post vim suam suppleretur exserere: at cf. recentiores edd. — 22, 8/10: *utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant:* cf. supra p. 45.

An. I 17, 13—15: *hinc vestem arma tentoria* (emi), *hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi:* sic Boetticher, Bach, Otto, alii; at cf. Nipperdey ad h. l., Andresen, Jahresber. 1877, Müller, Beiträge I p. 29 s.; — 35, 7 s. *si qua alia ex necessitate* (parantur) *aut adversus otium castrorum quaeruntur*: sic Walther; at cf. Ruperti, Nipperdey ad h. l. — Huc olim rettulerunt etiam locum corruptum illum 35, 8 seq. *atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendi numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant* Walther, Boetticher (lex. Tac. proll. p. 80), Ruperti (IV p. 834), Grysar (Zeitschr. f. öst. Gymn. 1853 p. 36): at cf. supra p. 65 s. — 50, 2—4: *at Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit*: verbum scindere ad silvam Caesiam sensu notionis permeandi, ad limitem sensu notionis transcendendi referendum esse putaverunt Doederlein, Ritter (1848), Kaercher, Philolog. 9 p. 75 seq.: sed cf. Urlichs, J. Jahrb. 69 p. 161 seq., Nipperdey ad h. l. — Locus iam mihi breviter tractandus est, quem etsi in collectaneis meis adscriptus erat tamen oculorum errore plane omisi, cum quaestionem illam de zeugmate, quo verbum generalius suppletur ex angustiore (cf. § 7, 2 p. 135 seq.), componerem. Legitur autem is An. I 58, 3 s. . . . . *amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae, ... verum quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam:* Grysar, Draeger, Andresen (cf. ed. Nipp. VII) post conducere ex probabam supplent verbum iudicandi, cum Nipperdey olim contenderit zeugmate opus non esse, quia probare significaret die Ansicht billigen; et recte ille quidem hoc dixit. Collatis enim locis ut An. XV 20, 8 *usu probatum est, patres conscripti, leges*

egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni (i. e. die Ansicht ist durch die Erfahrung bestätigt worden, dass et q. s.), G. 13, 2 *sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit* (i. e. anerkennen) optime Nipperdei explicatio defendi potest. Verba *et pacem* (sc. *potius*) *quam bellum* epexegetice addidit Segestes ad vocem idem: vertas: *weil ich die Ansicht billigte (anerkannte), dass Römern und Germanen das Gleiche zuträglich sei, und zwar der Friede mehr als der Krieg.* De brachylogia quae inest in voce probare conferas praeter Nipperdei annotationem etiam Draeger, histor. Synt. II p. 274; de particula et sensu epexegetico posita cf. Spitta, de Taciti in componendis enuntiatis ratione, p. 15 seq. et lex. Tac. p. 396. — An. II 5, 5 s. *tractare proeliorum vias et* (reputare) *quae sibi . . . saeva vel prospera evenissent:* Bach; — 11, 2 *pontibus praesidiisque impositis:* Ramshorn, gramm. p. 1022; Ruperti, vol. IV p. 835; — 32, 6 seq.: *ut* (sic Mediceus) *dona Iovi, Marti, Concordiae* (offerrentur), *utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur.... decrevere:* Bach; at cf. Halm; praeterea de hoc loco egerunt Pfitzner p. 20 s., Ritter, ed. 1864 praef. p. 64; — 46, 5/6: *quoniam tres vacuas* (sic Mediceus: at cf. Halm) *legiones* (obtruncaverit) *et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit:* Doederlein; — 54, 8/9: *igitur adito Ilio quaeque ibi varietate fortunae* (memoranda) *et nostri origine veneranda:* Roth ap. Rupertium p. 213. — 58, 9 s. *datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliae Pisonis* (factum est): Walther, Bach, Ruperti, Otto, Grysar l. l.; — III 11, 9 s. *haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit;* Doederlein; at cf. Nipperdey, opusc. p. 369. — 20, 11: *excepta* (sic M.) *vulnera* (ostendit) *et quamquam transfosso oculo adversum os in hostem intendit:* Draeger; at cf. Nipperdey, Müller, Beitr. III p. 25; Andresen, Jahresb. 1875 p. 34; Halm. — 33, 7 s. *inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu* (turbent) *bellum formidine morentur:* Roth, Agr. p. 272; — 43, 2 s. *Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat et nobilissimam Galliarum subolem liberalibus studiis ibi operatam* (conciliaverat): sic olim Halm, Beiträge 1846

p. 8; Otto p. 350; cf. etiam Müller, Beitr. III p. 32; Pfitzner p. 19; Halm, ed. III; Andresen, Jahresber. 1875 p. 35 et 1876 p. 74; — 63, 3 s. *ut perspecto iure et* (perpenso), *si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent:* sic Müller, Beitr. III p. 45: at cf. Nipperdey et supra p. 115; — IV 2, 1 s. *vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis* (adderetur), *in ceteros metus crederetur* (sic!): Roth, Agr. p. 274: at cf. edd. recentiores; — 3, 9 s. *postquam primi flagitii potitus est..., ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit:* Walch, Agr. 1828 p. 150; Roth p. 273; Ruperti IV p. 835: at cf. Nipperdey; — 23, 14/15: *iussa principis magis* (reverens) *quam incerta belli metuens*: Walther; — 49, 5 s. *dein fossam* (deprimens) *loricamque contexens quattuor milia passuum ambitu amplexus est:* sic Walther, Bach, Roth, Agr. p. 273: at cf. Draeger, Nipperdey. — 64, 6 s. *actaeque ei grates apud senatum ab inlustribus famaque apud populum* (parta est): Bach ad An. I 17; — 72, 10: *ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio dabant (*sed M praebet tradebant): Roth l. l. p. 272; Draeger, ed., Peter, Agr. p. 53 (ad Agr. 19, 10); sed zeugmate opus non esse elucet; referri potest, sed non debet, hoc exemplum ad id dicendi genus, quod tractavimus in § 6, 2, c (cf. p. 118), ita ut verba servitio tradebant coniungantur cum corpora coniugum ac liberorum, solum verbum tradebant cum accusativis boves et agros; — 74, 16: *ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur:* Ernesti ap. Rupertium; Draeger. — VI I (7), 14 s. *dona in promptos, minas adversum abnuentes* (adhibebant) *et, si retinerent propinquus aut parens, vim raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant:* Bach, Walther, Ruperti, Otto (p. 745): at cf. lex. Tac. p. 417. — 11 (17), 12 s. *primusque Messalla Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit:* Bach verbum accepit proprie refert ad potestatem; ad finem subintellegit invenit: at cf. lex. Tac. p. 18 et supra p. 137; — 21 (27), 4 s. *tum complexus eum Tiberius praescium*

periculorum et incolumem fore gratatur: Boetticher, proll. p. 79; at cf. Nipperdey. — Draeger olim ad locum difficillimum VI 31, 19 s. explicandum adhibuit zeugma, quod nullo pacto ferri potest; voluit enim in verbis *nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur* post vocem Caesaris suppleri electus vel institutus ex verbo finito cerneretur; sed de eiusmodi commentis eo minus verba fieri opportet, quod ipse Draeger ea nunc praetermisit: cf. praeter editiones Pfitzner l. l. p. 173, Müller l. l. III p. 57 seq. — ib. 9 s. *simul veteres Persarum ac Macedonum terminos seque invasurum possessa primum Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat*: Bach ad An. I 17. — 41, 8 s. *erumpere ausos ferro* (domuit), *ceteros siti ad deditionem coegit:* Doederlein vol. I p. 288 et II proll. p. 51. — XI 9, 2 s. *vi militis Romani* (congressa) *ad excindenda castellorum ardua, simul Hibero exercitu campos persultante:* Ernesti, Kiessling (ed.); at cf. Walther. — 21, 14/15: *consulare imperium, triumphi insignia* (assecutus est) *ac postremo Africam obtinuit:* Bach. — 28, 12/13: *sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur* (dareturque) *ut clausae aures etiam confitenti forent:* cf. Müller, Beitr. III p. 45; Nipperdey. — XII 16, 7 s. *nisi quod moenia non saxo sed cratibus et vimentis* (valida) *ac media humo adversum inrumpentes invalida erant*: Ruperti (cf. etiam supra p. 146 ad locum H. I 8, 2); at cf. Nipperdey. — 17, 6/8: *cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci amnesque et urbes iuxta prorumperentur*: (sic!) Doederlein I p. 342; — 28, 2/3: *praeda· famaque onusti:* Draeger olim zeugma his in verbis inesse docuit: at cf. supra p. 137; — XIII 39, 17 s. *libritoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent:* Ritter, ed. 1848 vol. II p. 150. — 41, 8 s. *Artaxatis ignis inmissus deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri* (poterant) *sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur:* sic Haase, Vorles. ed. Eckstein I p. 205; Nipperdey scripsit teneres, quod laudavit Urlichs, J. Jahrb. 1854 p. 302 seq. et vituperavit C. Reuss, de coniunctionum causalium apud Tacitum usu; cf. Halm, Andresen, qui poterunt post teneri in

textum receperunt; cf. etiam Müller l. l. III p. 49 s. De addenda voce nequibant cf. Wölfflin, Philol. 27 p. 147. — XIV 16, 9/10 *nec deerant qui voce* (sic!) *vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent:* Doederlein. — 32, 3 s. *et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant externosque fremitus in curia eorum auditos* (referebant): Doederlein; cf. etiam supra p. 134; pertinet autem hic locus ad id dicendi genus, de quo egimus supra p. 72 (sub que); interpungendum est.... *canebant: externosque* et q. s. — 33, 15, s. *neque enim capere aut venundare aliudve* (agebant), *quod belli commercium, sed caedes patibula ignes cruces, tamquam reddituri supplicium ac praerepta interim ultione, festinabant:* Draeger; cf. etiam Müller l. l. IV p. 45 et supra p. 106. — 38, 16/17: *adversa pravitati ipsius* (tribuebat), *prospera ad fortunam referebat:* sic Orelli-Baiter; at cf. Nipperdey; — 58, 11 s. *effugeret segnem mortem, otium, suffugium:* Roth, Übers. p. 116: at cf. supra p. 76 s. — XV 4, 9 *ira magis quam metu ceteros accenderant:* Doederlein I p. 480 refert accenderant ad ira; ad metu supplet perculerant; — 43, 13 s. *iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes* (constituerentur) *et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet:* Orelli-Baiter, ed. I; at cf. Nipperdey. — 51, 15/16: *ergo Epicharis plura* (dicit vel loquitur) *et omnia scelera principis orditur:* sic Walther; at post plura interpungendum est: cf. Nipperdey et supra p. 50. — 54, 3 s. *qui pridie insidiarum multo sermone* (egit) *cum Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit:* sic olim editores; at cf. Müller, Beitr. IV p. 39 seq., Nipperdey. — 55, 13 s. *enimvero liberales semper epulas struxisse; vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam, fomenta volneribus nulla iussu suo:* cf. Ruperti, Orelli-Baiter; contra Nipperdey, Halm: cf. supra p. 61. — 67, 2 s. *primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum* (dicens): sic Bach: at cf. supra p. 74.

Index locorum tractatorum.

		pag.
Dial.	7, 1 s.	103
„	24, 4/5	140
„	25, 30	140
Agr.	5, 3—5	47 et 104
„	9, 8 seq.	50 s.
„	13, 1—2	145
	(NB. de zeugmatis falso Dialogo Agricolae Germaniae imputatis cf. pag.	144—146)
„	19, 5	49
„	19, 10/11	136
„	27, 7 s.	136
„	31, 4/5	134
„	36, 18—21	136
„	37, 13 s.	136
„	44, 14 s.	146
„	45, 6/7	134 s.
Germ.	7, 15	137
„	17, 14; (18, 2)	140 s.
Hist. I	4, 7/9	124
„ „	8, 2 s.	146
„ „	14, 2	48
„ „	23, 9—11	137
„ „	28, 2 s.	146 s.
„ „	29, 1—4	55
„ „	32, 4—7	47 et 121
„ „	36, 1 s.	101
„ „	44, 7—10	98
„ „	51, 3—5	119
„ „	67, 1 s.	147
„ „	77, 2 s.	147
„ „	80, 11 s.	147
„ II	3, 11	147
„ „	32, 7	147

		pag.
Hist. II	34, 3 s.	129
„ „	35, 1/2	137
„ „	70, 13/14	147
„ „	80, 5/6	147
„ „	83, 6/8	138
„ „	88, 1—3	45
„ III	8, 8—10	117 et 126 s.
„ „	13, 4	71
„ „	23, 11	98
„ „	33, 10—13	49
„ „	42, 6—8	138
„ „	45, 13—15	44
„ IV	12, 8—9	141
„ „	31, 9—11	141 s.
„ „	33, 21 s.	97
„ „	35, 5—9	49
„ „	46, 16—17	58
„ „	50, 18	147
„ „	55, 9—11	142
„ „	59, 9 s.	147
„ „	84, 22	147
„ V	3, 16	142
„ „	4, 17—18	148
„ „	20, 6—7	121
„ „	22, 8—10	45
An. I	13, 15	56
„ „	17, 13 s.	148
„ „	35, 7—9	148
„ „	35, 8—12	65 s
„ „	41, 2	68
„ „	50, 2—4	148
„ „	58, 3 s.	148
„ II	32, 6 s.	149
„ „	33, 14 s.	105
„ „	40, 1—3	132

pag.
An. II 60, 5—8 122
„ III 9, 1 s. 59
„ „ 10, 2 68
„ „ 20, 11 s. 149
„ „ 43, 2 s. 149
„ „ 62, 14/15 55
„ „ 63, 3 s. 150
„ IV 12, 11 48
„ „ 20, 8 s. 111
„ „ 20, 12 . . . . 122 s.
„ „ 44, 8/9. . . . . . . 112 s.
„ „ 47, 4 44
„ „ 50, 10 s. 142
„ „ 55, 13/14 69
„ „ 57, 1 59
„ „ 72, 10 s. 150
„ VI 5 (11), 1 s. 133
„ „ 31, 19 s. 151
„ „ 38 (44), 5/6 144
„ XI 9, 9—13 43
„ „ 17, 9 110
„ „ 35, 12/13 46
„ XII 12, 8 s. 85
„ „ 14, 15—17 144
„ „ 17, 2—4 . . . . . . 82 s.
„ „ 22, 3—5 . . . . . . 53 s.
„ „ 41, 7 86
„ „ 64, 1—6 . . . . . . 87 s.
„ „ 64, 20 119
„ „ 65, 16 92
„ XIII 3, 3 120

pag.
An. XIII 14, 16—18 . . 138
„ „ 15, 6—7 . . . 123
„ „ 18, 12—13 . . 138 s.
„ „ 25, 1—6 . . . 107 s.
„ „ 41, 8 s. 151
„ „ 56, 1 s. 97
„ „ 56, 7/8 119
„ XIV 6, 1 . . . . 72 s.
„ „ 7, 7 . . 53 et 64 s.
„ „ 7, 11 43
„ „ 16, 7 s. 132
„ „ 23, 9 s. 45
„ „ 32, 3 s. . 134 et 152
„ „ 33, 4 s. 115
„ „ 33, 15—18 106 et 152
„ „ 44, 8—10 . . 134
„ „ 54, 12—13 . . 139
„ „ 58, 10—14 . . 76 s.
„ „ 61, 8 s. 92
„ „ 63, 9 106
„ XV 5, 8 s. 86
„ „ 41, 2—10 . . 98 s.
„ „ 44, 19 s. . . . 99 s.
„ „ 51, 15—16 50 et 152
„ „ 72, 4—9 . . . 100 s.
„ XVI 15, 3 . . . . 56 s.
Quintil. VIII 6, 21 . . 31 s.
Zonaeus ap. Speng. III pag. 166 . . . . . 22 s. adn.
Alex. Numenii ap. Speng. III pag. 33, 6 . . . 27 adn.

Conspectus rerum tractatarum.

Praemittenda: pag.

De scriptis quibus agitur de Taciti breviloquentia 1

Excursus de significatione atque historia terminorum quorundam ad eas dicendi formas pertinentium, quae fiunt per detractionem 5

I. De brevitate (βραχύτης) et brachylogia 6

II. De aposiopesi 12

III. De ellipsi 22

1. quae ad verborum formam 22

2. quae ad syntaxin pertinet 24

IV. De figura ἀπὸ κοινοῦ et de zeugmate 38

De verborum omissione vel suppressione.

Generalia quaedam 42

§ 1. Verbum omittitur, quia satis indicatur

1. adverbio quodam 43

2. ablativo modi 44

3. accusativo obiecti

a) accedente notione modali vel dictione praepositionali; 47

b) solo accusativo obiecti 50

4. praepositionali dictione 55

5. casu obliquo, quem sequitur oratio obliqua. . . 60

§ 2. De enuntiatis brevibus propter orationis vigorem gravitatemque 60

De enuntiatis ab **hinc inde unde** incipientibus 62

§ 3. Quaeritur qua ratione Tacitus orationem obliquam pendentem fecerit ex notione regenti 66

De oratione obliqua

I. verbis adiuncta;

1. sequitur ea enuntiatum primarium verbis sententiisque absolutum. Aut enim

A. in praedicato extat verbum dicendi vel sentiendi, ex quo ipso, cum absolute positum propriam enuntiati sui sententiam reddat plenam, oratio quae sequitur obliqua non pendet; secundum rationem grammaticam aut ipsum illud verbum

pag.

cogitatione est repetendum aut novum verbum ex eo supplendum, unde oratio obliqua proprie regatur 67

B. aut pendet ex verbo praedicativo enuntiati primarii, ut eius sententia fiat absoluta, enuntiatum secundarium; dein sequitur epexegetice oratio obliqua ab accusativo c. inf. incipiens, quae omnino non pendet ex verbo enuntiati primarii, sed ex verbo supplendo, quo indicetur agi de cogitationibus personae agentis 69

Praemittitur quaestio de oratione obliqua, quae inducitur particulis causalibus nam, enim, quippe; 69

vel copulativis iisque epexegetice positis et, ac, neque, neque enim 71

Proprie tractantur, quae sub B proposuimus . . 75

Oratio obliqua sequitur

a) enuntiatum secundarium coniunctivo adhortativo conformatum 75

b) enuntiatum secundarium relativum. 78

c) accusativum et infinitivum proprie ex ipso verbo regenti pendentes 79

d) interrogationem indirectam 80

e) enuntiatum secundarium a coniunctione quod dass incipiens et proxime ad vim enuntiati causalis accedens 80

f) enuntiatum secundarium causale 82

g), h), i), k) enuntiatum secundarium temporale, condicionale, modale, finale 85

l) enuntiata non ipsa forma secundaria, sed sententia . 86

C. aut verbum regens enuntiati primarii proprie ad obiectum aliquod pertinet; itaque non ipsum ad sequentem orationem obliquam referri potest, qua ea, quae enuntiato primario verbis sententiisque absoluto continentur, accuratius explicantur . . 88

II. substantivis adiuncta.

1. Substantivum cum verbo ita coniunctum est, ut una quasi efficiatur notio, ex qua oratio obliqua est suspensa, ita quidem ut verbum regens suppleatur;

a) enuntiatum enim primarium et verbis et sententiis absolutum est nec indiget orationis obliquae, quae epexegetice additur 91

b) ex enuntiato primario pendet aliud enuntiatum; dein sequitur oratio obliqua

pag.

α) enuntiatum coniunctivo adhortativo conformatum
β) enuntiatum ab ut incipiens 91
γ) enuntiatum ab quod incipiens 92
2. Ad ipsa substantiva additur oratio obliqua 93
a) interposito
α) accusativo cum infinitivo
β) enuntiato secundario 94
b) non interposito eiusmodi enuntiato 95
III. adiectivis adiuncta 96

§ 4. Verba omittuntur, si ex antecedentibus vel sequentibus suppleri possunt.
I. Notio idem significans antecedit vel sequitur.
1. De enuntiatis, quae eadem condicione grammatica utuntur; aut ex enuntiato primario in aliud enuntiatum primarium aut ex enuntiato secundario in aliud enuntiatum secundarium suppletur verbum 96
2. De enuntiatis, quae non eadem condicione grammatica utuntur.
a) Verbum finitum ex enuntiato primario suppletur in enuntiatium secundarium
α) eadem
β) non eadem forma grammatica 102
b) verbum finitum ex enuntiato secundario suppletur in enuntiatum primarium 103
c) verbum finitum suppletur ex uno in alterum enuntiatum secundarium; est autem membrum elliptice conformatum ei, ex quo verbum suppletur, subiunctum 104
II. Similis notio antecedit vel sequitur 105
a) de enuntiatis inter se coordinatis 105
b) de enuntiatis secundariis
α) verbum generalius ex enuntiati primarii praedicato sumitur 109
de particula ut brachylogice posita 110
β) verbum generalius ex enuntiato secundario suppletur in aliud eique subiunctum enuntiatum secundarium 112

§ 5. De figura quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ 113
§ 6. De verbi finiti in enuntiatis compositis collocatione.
Positum est verbum
1. in initio membri primi. 114
2. in fine membri ultimi 116
3. in fine membri primi. 119
4. in initio membri secundi vel tertii vel quarti et q. s. 121

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Pseudolysiae oratio funebris. Ed. Martinus Erdmann, Dr. ph. [30 S.] gr. 8. geh. n. ℳ —.80.

Schaefer, Arnold, Abrifs der Quellenkunde der Griechischen und Römischen Geschichte. Zweite Abteilung: Die Periode des Römischen Reiches. [IV u. 199 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 3. —

Schaunsland, Dr. M., Gymnasiallehrer in Bielefeld, Übungsbuch zum Übersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische für die Quarta eines Gymnasiums und die Untertertia einer Realschule I. Ordnung im Anschluß an die Lektüre des Nepos. [IV u. 54 S.] gr. 8. kart. n. ℳ —.80.

Schmelzer, Carl, Gymnasial-Direktor, Entwürfe zu griechischen Exercitien. [IV u. 60 S.] gr. 8. kart. n. ℳ —.80.

——— ——— griechische Syntax für die Oberklassen der Gymnasien zusammengestellt. [39 S.] gr. 8. kart. ℳ —.60.

Stier, G., Direktor des Franciscemms in Zerbst, Kurzgefaßte hebräische Grammatik für Gymnasien. [X u. 122 S.] gr. 8. geh. ℳ 1.80.

Stoll, H. W., Professor am Gymnasium zu Weilburg, die Meister der römischen Litteratur. Eine Übersicht der klassischen Litteratur der Römer für die reifere Jugend und Freunde des Altertums. [IV u. 427 S. mit 1 Stahlstich.] 8. geh. ℳ 4.20, in Leinwand gebunden ℳ 5.20.

Teuffel, W. S., Geschichte der römischen Literatur. Vierte Auflage, bearbeitet von L. Schwabe. I. Lieferung [Bogen 1—25]. gr. 8. geh. n. ℳ 4.40.

Vaniček, Alois, k. k. Gymnasialdirektor zu Neuhaus in Böhmen, etymologisches Wörterbuch der lateinischen Sprache. Zweite umgearbeitete Auflage. [VIII u. 388 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 6. —

Verhandlungen der fünfunddreissigsten Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner zu Stettin vom 27.—30. September 1880. Mit 2 lithogr. Tafeln. [IV u. 252 S.] gr. 4. geh. n. ℳ 10. —

Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana.

Antiphontis orationes et fragmenta adiunctis Gorgiae Antisthenis Alcidamantis declamationibus edidit Fridericus Blass. Editio altera correctior. [XLVIII u. 211 S.] 8. geh. ℳ 2.10.

Appiani historia Romana. Edidit Ludovicus Mendelssohn. Volumen alterum. [VI S. u. S. 565—1227.] 8. geh. ℳ 4.50.

Aristotelis de coelo et de generatione et corruptione. Recensuit Carolus Prantl. [IV u. 174 S.] 8. geh. ℳ 1.20.

Aristotelis quae feruntur de coloribus, de audibilibus, physiognomonica. Recensuit Carolus Prantl. [IV u. 67 S.] 8. geh. ℳ —.60.

Justiniani, Imp., Novellae quae vocantur sive constitutiones quae extra codicem supersunt ordine chronologico digestae. Graecas ad fidem codicis Veneti castigatas ed. C. E. Zachariae a Lingenthal. Pars I. [XVI u. 564 S.] 8. geh. ℳ 6.—

Nonni Panopolitani paraphrasis s. evangelii Ioannei. Edidit Augustinus Scheindler. Accedit s. evangelii textus et index verborum. [XL u. 331 S.] 8. geh. ℳ 4.50.

Poetae latini minores. Recensuit et emendavit Aemilius Baehrens. Vol. III. [308 S.] 8. geh. ℳ 3.—

Schulausgaben griechischer und lateinischer Klassiker mit deutschen Anmerkungen.

Ciceros ausgewählte Briefe. Für den Schulgebrauch erklärt von Josef Frey. Dritte Auflage. [VIII u. 239 S.] gr. 8. geh. ℳ 2.25.

——— Tusculanarum disputationum libri V. Für den Schulgebrauch erklärt von Otto Heine. Dritte verbesserte Auflage. Zwei Hefte. gr. 8. geh. ℳ 2.70.

Einzeln:
I. Heft: Lib. I et II [XXV u. 106 S.] ℳ 1.20.
II. — Lib. III—V [II u. 160 S.] ℳ 1.50.

Cornelius Nepos. Für Schüler mit erläuternden und eine richtige Übersetzung fördernden Anmerkungen versehen von Dr. Johannes Siebelis, weil. Professor am Gymnasium zu Hildburghausen. Zehnte Auflage, besorgt von Dr. Max Jancovius, Oberlehrer am Vitzthum'schen Gymnasium zu Dresden. [XVI u. 196 S.] gr. 8. geh. ℳ 1.20.